

VITA VENERABILIS PATRIS NICOLAI LANCICIJ È SOCIETATE...

Kazimierz Wijuk Kojalowicz, Bohuslav Alois Balbin




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
30 A
14

VITA
VENERABILIS
PATRIS
NICOLAI LANCICII
è SOCIETATE JESU,



Compendiosiùs ſcripta, primùm

A

R.P. Caſimiro Wijuk Kojalowicz
Soc: JESU, SS. Theol: Doctore;


Nunc verò

Curis ſecundis reviſa, denuò conſcripta,
& claritatis gratiâ, certis Capitibus diviſa,
ac plùs quàm dimidiâ parte aucta,

à R.P. BOHUSLAO BALBINO
Soc. JESU Sacerdote.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæſ. Maieſt.






PRAGÆ, Typis Univerſitatis Carolo Ferd. in Collegio
Soc. JESU ad S. Clementem,
per Joannem Caſparum Muxel, Anno M. DC. XC.



VEN: P. NICOLAUS LANCICIUS
Sanctissimi Sacramenti Cultor Eximius



De Vita, Rebúsque gestis VENERABILIS PATRIS NICOLAI LANCICII SOCIETATIS JESU.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Genus, ortus, & prima educatio.



ICOLAUM LANCICIUM ex Nobili apud Polonos familia oriundum, *Litvania* nascentem vidit: natus est An. Salutis 1574. die 10. Decembris, Feriâ 6. quæ patientis Christi memoriæ in Ecclesia consecratur; alieno natus est non in paterno solo, ante Vilnam in loco ignobili; cujus rei hæc causa fuit. Pauculis antè annis *Polona* Nobilitas

tum peregrinationibus *Germanicis*, *Gallicis*, *Anglicis*, tum Scholis Hæreticorum *Lipsiæ*, *Heidelbergæ*, *Wittenbergæ*, tum etiam *Genevæ* alloquijs virulentissimis *Bezæ* corrupta, novitatem Religionis amare cæperat, & partem libertatis putabat, posse, quod vellet, credere; & posse perire; hinc advocati complures hæreseos Magistri, qui, cùm aliunde pellerentur, apud Polonos pro libertate Gentis, fidam stationem inveniebant, ùt narrat *Florimundus Remondus in LL. de Orig. & Progres. Hæres.* Ex *Litvanis* Proceribus Nobilissimus Vir *Radzivilus*, antiquâ Majorum Religione, velut anili explosâ, calvam & sinè ritibus Calvini fidem toto animo sectabatur; neque contentus suo unius errore, hæresim corroborare, etiam quâ posset ope augere decreverat. Circa eum multa *Ministellorum* turba, multæ Hæreticorum Clientelæ, qui se Principis similes præstare conabantur, adeò ut Academiam quandam ex ijs conficeret. Typum præcipuè comparandum sibi duxit, unde libelli in reliquam *Litvaniam* & *Poloniam* novis erroribus scatentes disseminarentur. Circumspiciens, cui seminarium novum, quod excitârat, cum Authoritate regendum committeret, ex *Polonia* Dominum *Lenczycki*, nostri *NICOLAI Patrem*, ejusdem superstitionis Societate conciliatum, promissis magnificis evocavit, qui his spebus illectus *Poloniam* deseruit, & cum omnibus suis in Litvaniam se

PRÆFATIO AD LECTOREM.

OPtabile fuerat, ut de Vita P. NICOLAI LANCICII *scribendâ citiùs cogitâssent iÿ, ad quos Vir ille præcipuè pertinebat. Verùm cùm ab ipsis cura hæc alijs relicta sit, nè suum virtuti præconium desit, ego sinè penna & sinè ullo manuum auxilio (quippe apoplexiâ prostratus) rem aggredior; ac fortè vel ob hanc causam gratia mihi vitæ facta est, quòd in extremo vitæ periculo vitam hanc me scripturum ad DEI gloriam promisi. Quod tam candidè & veraciter præstiturum me polliceor, ut in singula testes oculatos, & omni exceptione majores dare possim. Si his aliquando caruero, famam faciam Authorem; in plerisque conscientiam animi mei inter-*

 po-

ponam, ùt qui cum Venerabili Patre familiariter pluribus sim versatus annis; ut ferè nihil illustre eo tempore in Provincia Bohemiæ Senex optimus gesserit, quod mihi occultum esse voluisset. Porrò totam hanc tractationem meam in tres dividam Libros: Primus Liber cursum vitæ præcipua negotia, officia, denique res gestas historicè & ordine temporum continebit: Alter virtutes in excelso gradu acquisitas exemplis luculentissimis ostendet; Tertius beneficia & gratias, quibus animam ejus exornavit Divinitas, quædam etiam miraculis simillima prosequetur. Omnia ad DEI gloriam, & posterorum imitationem; quo in opere sanctè testor: decreto SS. D. N. URBANI me parêre velle, & nihil nisi fidem humanam exposcere, quæ nimirum Historico non indiligenti debetur.

De

& gemmas habendas, quæ ex mensa magni *Patris-familias* cadant, & ex infinito in genus humanum amore proficisci; proinde gratos nos esse oportere vel agnoscendo; quam agnitionem sæpe DEUS pro gratiarum actione suscipiat, cùm beneficium reddere, nostra illi non possit tenuitas.

CAPUT II.

Educatio Nicolai apud Hæreticos, & hæreseos tuendæ studium.

AT longè majora sinè dubio animæ, quàm corporis pericula haberi debent. *NICOLAUS* à Nutrice, Matrona *Catholica*, manu missus, continuò à Patre Sectæ Calvinianæ Ministris erudiendus committitur; ij uno propè labore *Grammaticam*, & suæ fidei impura dogmata tam altè Adolescentis animo impresserunt, & insusserunt, ut propè doctior *Calvinianus* quàm *Grammaticus*, haberetur. Quotidianum tum erat certamen *Collegio Societatis JESU Vilnensi* cum Ministris de Religione, in scholis, in templis, in foris, & compitis disputabatur; præcipui avitæ Religionis defensores è Patribus *Petrus Skarga*, *Joannes Lencrevitius*, & Pater *Valentinus Fabritius* habebantur. Aderat semper puer Nicolaus, & pro Magistris suis affectu & favore, cùm aliter ad-

adhuc nesciret, pugnabat. Instituta fortè fuit celebris cum Hæreticis disputatio, præsente *Georgio Radzivilio Cardinale*, & *Episcopo Vilnensi*, cujus æternum de re *Christiana* meritum prædicatur, quòd ejus ope *Litvania*, hæresi corrupta non sit, sed in veteri Religione conservata. Disputatione illâ fracti utcunque Hæreticorum animi, mitiores, & modestiores evasêrunt; at *Nicolaus* noster, qui intererat, totam hanc victoriam literis Græcis, & Hebraicis, tribuebat, quòd nimirum sacrarum literarum textus sæpiùs hisce lingvis adducerentur; credebat Patres nostros ob illarum lingvarum peritiam vicisse: Itaque postquàm domum redijt, nihil habuit antiquius, quàm *Grammaticam* Hebræam perdiscere; quo pertinaci studio tantum profecit, ut brevissimo tempore jam legere, scribere, quædam etiam intelligere posset. Ubi progressu temporis Hebræam commodè percepisset, ad Græcam animum appulit, & lectione continuâ librorum Hebraicorum & Græcorum tantum profecit, ut inter æquales suos doctissimus haberetur; ídque potissimùm faciebat, ut nostrorum Patrum disputationes, & vim argumentorum, & sententiarum elidere posset; hoc unicum telum esse existimans, quô Secta *Calviniana* peteretur à nostris. Mirabantur Patres nostri generosam Adolescentis indolem, & omni conatu in retia *Christi* compellere *NICOLAUM* studebant; cúmque id tardè ob

vo-

ſe tranſtulit. Neque fefellit hominem ſua ſpes, nam & Seminario & libris typo mandandis *Vilnæ* præfectus eſt, & non ità procul *Neſviſio* bonis quibuſdam locupletatus. Hæc, ùt modò dixi, Parentibus cauſa proficiſcendi fuit. *Natus NICOLAUS* noſter ante *Vilnam*, ùt dixi, ibíque cum Matre ſubſiſtere coactus, ſingulari DEI beneficio, cùm inveniri Popa hæreticus non poſſet, à Catholico Sacerdote, Catholico ritu ſacris ablutus eſt aquis. Acceſſit beneficio cœleſti nutrix *Catholica*, quæ cum lacte pietatem, & virtutem inſtillaret. Rem ipſo *Patre NICOLAO* narrante miram didici: cùm optima Nutrix quinquennem *NICOLAUM* in *Vilnenſem Divi Joannis Baptiſtæ Baſilicam* (quæ eadem Academiæ Societatis JESU communis eſt) deduxiſſet, & ante aram ſummam ſtatuiſſet, Sacerdote Sacra faciente, & SS. Euchariſtiam ad populi adorationem elevante ſubitò puerulum maniculis compoſitis, & digitis pariatis, obortâ quadam cœleſti luce, primùm de genu, deinde toto corpore pronum, fronte etiam humo impactâ, ultrò, & ſcientem quid ageret, Divinam Majeſtatem cernuum adorâſſe. Id *P. NICOLAUS* DEO gratias agendo, gratè nobis audientibus prædicabat, & primam actionem eſſe dicebat, quam cum ratione egiſſet; nihil certè antiquius, neque boni, neque mali abs ſe cogitatum, geſtúmque meminerat, ut ſi virorum ſapientum ſententia probe-

conciones audire, dubia conferre, atque etiam in Academia noſtra *Poëſeos* ſcholam frequentare voluit, ut ex proximo perluſtraret omnia. Neq; diu cœleſte *Fidei* lumen in cor Adoleſcentis immittere tardavit DEUS, ſed aliquando per otium de *Fide* cogitanti tantâ claritate *Religionis Catholicæ* veritatem, & ſanctitatem objecit, ut omnes priores de *Religione* controverſiæ momentò evaneſcerent, & nihil dubij reſideret, quo animus detineri poſſet. Ergo firmiſſimo propoſito, nullo, neque *Magiſtro*, neque ſvaſore impellente, ſolo, quod dicebam, cœleſtis luminis ductu, ſtatuit hæreſim ejurare; quod primo quoque tempore perfecit, profeſſione fidei in cœtu Noſtrorum nuncupatâ. Invenio in Arcanis *P. NICOLAI* libellis A. 1590. generalem de omni vita ſua confeſſionem inſtituiſſe, & primùm eodem anno die *S. Nicolai Epiſcopi* ad *SS. Euchariſtiam* ſumendam acceſſiſſe. Neque hìc divinus amor in *NICOLAUM*, qui ùt molliſſima cera digitum Spiritûs Sancti ſcribentis ſequebatur, conſtitit, ſed propè eâdem operâ, ad maximè ardua in vita hominum vota, Adoleſcentem incitavit, quorum altero omnem corporis voluptatem proſcripſit; altero dulce libertatis bonum in perpetuam in Religione, ſed glorioſam ſervitutem commutavit. Certo die ad votum prius præſtandum præſtituto, *Sacellum Divæ Virginis Vilnenſe* peractâ peccatorum confeſſione, & SS.

SS. Euchariſtiâ præceptâ adijt, ubi ante aram genibus poſitis, poſtquam conſcientiam, & teſtem voti ſui *Divam Matrem* feciſſet, conceptis verbis DEO caſtitatem perpetuam (quam abs ſe nunquam læſam eſſe meminerat) promiſit. Id votum cœlo gratum fuiſſe, cœleſtia ejus virtutis conſervandæ in omni reliqua vita auxilia oſtenderunt, certè hoc votum majora inter beneficia gratiſſimus ſenex in libello beneficiorum agnoſcit: *Gratias*, inquit, *tibi ago, ô DEUS, quòd me voto caſtitatis perpetuæ in Sacello Vilnenſi B. Virginis adſtrinxerim tibi.* Alterum votum, utpote difficilius longiore etiam tempore conceptum, & natum eſt. Ad *Societatis* Inſtitutum amplectendum ferebatur ardentiſſimè, ut jam nihil cogitaret, quàm JESUM ſequi, ætáſque illi deeſſe videretur, dum id, cujus deſiderio flagrabat, perficeret. Et commodum *Vilnam R. P. Ludovicus Marſellus Provincialis* advenerat, quem ut ſibi demereretur *NICOLAUS*, *Poëmation* quoddam, quo eum ſalutabat, & adventum gratulabatur, non vile ingenij ſui ſpecimen obtulit, ſimul propoſitum voluntatis ſuæ aperiens, DEO ſervire, totúmque ſe ejus obſequio conſecrare teſtatus. Difficile ex inſperato reſponſum retulit à Patre: non priùs ad Societatem acceſſum ſperaret, quàm Patrem propè Sexagenarium, à *Calvino* abductum, ad veram Eccleſiam adduceret. Ardua res viſa eſt; at DEO fidens *NI-*

CO-

volaticum Adoleſcentis ingenium procederet, id ſaltèm perficere nitebantur, ut Noſtrorum colloquia non defugeret,& ad *Collegium* itaret, ubi humaniſſimè exceptus, ad *Catholicam* Fidem percipiendam bene comparatus evaderet. At interim obfirmaverat Adoleſcentis animum aſſidua librorum hæreticorum lectio, cum *Miniſtellis* quotidiana dubiorum, & dogmatum collatio, & inanis quædam gloriolæ cupiditas, cujus dulcedinem aliquam ex laudationibus aliorum percipiebat, ut ſæpiùs coram Condiſcipulis & Magiſtris juraret, *Calvini* placita vel ſangvine profuſo propugnaturum. Unde cùm rumore populari accepiſſet *Eminentiſſimum Cardinalem Radzivilum* facultatem à *Rege* obtinuiſſe,vi,ac tormentis in *Hæreticos* agendi, *NICOLAUS* ut ſe his minis nihil moveri palàm oſtenderet, veſte à collo reducta nudatus, multis horis publicè inceſſit, voluítque primus eſſe, in quem *Cardinalis* animadverteret. Mirum tamen multis viſum eſt *Adoleſcentem NICOLAUM*, qui tanto ardore *Calvini* placita tueretur, & pro ijs velut pro aris & focis pugnaret, nunquam nihilominus apud eos *Calviniſticam* cœnam ſumpſiſſe, nec invitatum ſæpius accedere voluiſſe, imò à Parentibus, & amicis præſtituto die adigi ad eam non potuiſſe. Id maximi beneficij inſtar à DEO in ſe collati habuit *P. NICOLAUS*, quòd ſe ijs profanis ſacris non contaminâſſet, & quotidie DEO

gra-

COLAUS conditionem accepit; qua ex re satìs patuit, quantum *Provincialis* Adolescentis prudentiæ, pietati, & ingenio tribueret, qui ei Apostolicum munus, ante legitimam ætatem demandaret. Sed juvenis, cùm rei difficultatem anxius secum revolvit, ex ipsa forsitan solicitudine in gravem incidit morbum, qui ad Patris animum molliendum viam aperuit, & consilia omnia feliciter expedivit. Erat dies memoriæ Divi *Nicolai Antistitis* consecrata, quâ, ùt mos in his Regionibus obtinuit, natalem diem gratulari solemus, eámque lætitiam munere aliquo contestamur. Ergo Pater Filij lectulum accedens: *Si te*, inquit, *Nicolaë fili, sanum haberem, ostendissem profectò, ut facilè agnosceres, quantùm te diligam, & quàm gratus natalis mihi tuus advenerit; nunc, quia per tuam valetudinem, nihil eorum tibi exhiberi potest, in luctu, & squalore versor, dum te nobis DEUS bene valentem, & firmum restituat.* Hìc filius: *Est in tua potestate Pater optime, gratum omnino & jucundissimum munus, quo nihil in vita lætius habebo; ac fortasse te meis votis annuente, valetudinem & vitam, & me tibi restituas.* Promptissimè Patre, quidquid optaret, facturum se spondente: *Hoc*, ait Nicolaus, *per salutem tuam, & meam efflictim, & unicè rogo, ut qui me tibi sanum corpore reddi cupis, animo ipse consanescas, & cùm me Christo donaverim, te quoque Christo dones, & Calvini erroribus (quos Majorum*

nostrorum ætas horruit) abjectis, Catholicam, & antiquam Religionem amplectáre. Obortis deinde lacrymis, quas hinc desiderium, inde petitionis novitas exprimebat, nè aliquo mœrore illam diem obnubilaret Pater, & Filio ægrè faceret, triduum ad deliberandum poposcit; quo exacto, cùm crederet, petitionem nuperam excidisse Filio, in primo Patris accessu repetit preces & lacrymas, quibus repetendis cùm nullum faceret finem, perpetuis lacrymis denique eò flexit Patrem, ut manus daret, brevíque à Patribus nostris informatus, *Calvino*, ejuratâ hæresi, valediceret. Quo accepto nuncio *NICOLAUS*, lætitiâ omnes venas percurrente, surrexit è lectulo, valetudine per hanc sinè dubio causam integrè restitutâ; neque oblitus est, conditione expletâ, res suas agere, sed quàm primùm se confirmatum viribus, & vegetum sensit, *Patrem Provincialem* adit, preces iterat, promissa modestè exigit, útque salutem suam, & virginitatem, quam DEO consecrârat, in tuta, & permunita Sanctæ *Religionis* Arce reponeret, & se hac nunquam intermoriturâ gratiâ dignaretur. Contrà quàm sperârat evenit; nam *Pater Provincialis*, non omnia simul agenda ratus, seu quòd id Adolescenti difficile non fore jam uno experimento didicisset, sive tentandæ in proposito constantiæ causâ, nihil ad summam votorum factum adhuc esse sublato supercilio respondit: nisi enim Parens ad-

admissionis conscius fieret, & consilium filij volens favénsque probaret, in Societatem recipi non posse. Hæsit rei difficultate attonitus Adolescens, nullum esse domi fratrem, unum se à Patre (jam enim nuper defuncta Mater erat) in spem familiæ destinari, obsequia *Aularum*, favores *Procerum*, opes, honores, titulos, ac cætera hominum bona, ùt fit, designari sibi, ídque commemorari à Patre sæpe audiebat; tamen spe in DEO fixâ conditionem accepit. Nihil jam longius illi videbatur, quàm veniam Societatis ineundæ obtinere à Patre, sed prudentiâ (qua pro ætate pollebat) cunctationem injecit, ut mollissimum & aptissimum ad expugnandum Patris animum tempus expectaret; quod semel nactus, oratione blandissimè compositâ, quam distingvebant lacrymæ, rem aggreditur. Pater causatus primò orbitatem, & senectutem suam, domûs solitudinem, familiæ, quæ in ipso desitura esset, interitum; tamen toties repetitis *NICOLAI* lacrymis, & tot cœlestibus argumentis, quibus oppugnabatur, ad extremum victus consensit, DEO se donaturum filium promisit. Nec mora: Patrem, ad Provincialem adducit *NICOLAUS*, qui paterno amore, & iterum divino, in corde senis pugnantibus, vix pauca hæc præ lacrymis, efflevit potiùs quàm elocutus est: *En ô Pater! quo animo Isaacum Abrahamus, meum ego per te DEO omnipotenti & Redemptori meo im-*

molo Nicolaum! Consolatus est Senem Provincialis, & opportunis argumentis dilaudavit consiliũ: explicuit subinde Paternam *Societatis JESU* in suos curam, Sociorum charitatem, plures Patres & Fratres numeraturum; proinde non cessaret ille Pater esse, sed in *Societatem* nominis hujus, & affectûs plures, ac se Provincialem quoque recipere dignaretur, orabat; tum fausta omnia precatus, ruentem in amplexus *NICOLAUM* pro suo se suscipere, & habere dixit, atque ità bonâ gratiâ utrumque dimisit.

CAPUT IV.

Tirocinium Societatis, & Cracoviense, & Romanum sanctè transactum.

ET jam Annus 1591. appetebat, tempúsque illud optatissimum, quo *Religiosæ Militiæ Tirones* initiari solent: *Cracoviam* igitur, ubi domicilium pro *Tironibus* in virtute exercendis, Societas habebat, ablegatur. Nulli dubium erat, quin Parenti seni ultimum vale dicturus, & quædam ab eo itineris auxilia, & lenimenta postulaturus esset; at *NICOLAUS* barbarâ quadam, & quam mundus æstimare non novit, duritie insalutato Patre, DEO & Majoribus suis curam omnem de se relin-

relinquens, ſimul de itinere admonitus, ſimul relictis omnibus è veſtigio, *Apoſtolorum* imitatione, rectà è *Collegio* per forum medium ad portas Urbis deſcendit. Concurritur primùm à Condiſcipulis, & notis, interrogationibus detinent & morantur, ac fortè aliquis curſu indicium Parenti facit; grandævus Senex properantem filium curſu aſſequi fruſtrà conatus, deficientibus viribus, voce & lacrymis ut ſiſteret, & inhiberet curſum, orabat. Rarum eo tempore ſpectaculum *Vilna* vidit: ad portam Urbis, quam *Acutam* vocant, conſiſtente filio, Pater anhelans ſupervenit; multitudine circumfusâ, certamen pietatis divinæ cum humana edebatur: Pater violata jura naturæ, valedictione filij immeritum ſe privari clamabat; filius contrà jam ſe à Patre traditum DEO, nihil in jura paterna, quæ deſijſſent, peccare dicebat, DEI vocem omni celeritate ſequendam, proinde moram itineri non injiceret. Adſtantes in diverſas ſententias abiêre: alij, qui Spiritûs divini vim & motiones non nôſſent, Adoleſcentem impietatis arguere, ùt videbatur, alij divini amoris æſtu factum imputare conabantur. *NICOLAUS* noſter interea è medio cœtu evadens iter ſuum alacriter proſequebatur. *Cracoviæ Tironibus* adſcriptus, virtutis palmam præripere Socijs gaudebat: imitabatur optimos, & ubi exempla deerant, faciebat. De eo *Cracovienſes Annuæ*, etſi tacito nomine ad Ann. 1591.

loquuntur, cùm Adolescentem peracris ingenij vocant, *qui beneficijs divinis, quæ in illum effusè spargebantur, egregiè respondeat*. Hoc argumento *Majores* impulsi, *Cracoviâ Nicolaum* ad *Romanum Tirocinium* transtulerunt, cùm sperarent non degenerem fore, & velut plantam, quæ in benignius cœlum transfertur, in illa Societatis luce, primævum nostri *Ordinis* spiritum, & vitalem succum attracturum. Hîc prima lineamenta duxit, prímísque coloribus virtutum imbui cœpit; ac primùm in ætate teneriore *Beatum Aloysium*, cujus recens in illo Tirocinio memoria vigebat, (utì postea in virili ætate *Xaverium* & *Ignatium*,) imitandum sibi proposuit. Silentij Religiosi legem nunquam illo biennio se transgressum esse, sæpiùs confirmavit, neque unquam in regulam quantumvis minimam, scienter peccâsse. Ex his minimis, maximarum rerum argumenta petuntur, solétq; Divina Majestas, cujus natura benefacere est, talibus obsequijs provocata, admirandis gratijs fidelitatem hanc in minimis, præmiare. Ingentem ergo quandam æstimationem rerum Societatis, animo inustam gerebat, & avidam curiositatem primordia Societatis penitùs pernoscendi, quæ aviditas, ùt postea dicam, in summum excrevit, ut nemo peritior rerum *Societatis* à multis putaretur. Quàcunque incederet *Sanctissimum Sacramentum* altaris in templo habebat præ oculis, in cubiculo le-

lectulum, sedem, pluteum, & reliqua sic disponebat, ut nunquam tergum Sanctissimæ *Eucharistiæ* obverteret; atque idem, quantum fieri poterat, in ambulacris per *Collegium* præstabat, quam consvetudinem pietatis per annos continuos quadraginta, eóque ampliùs tenuit. Inutilia hæc esse forsitan inexperti rerum divinarum, & propè superstitiosa clamabunt, at *NICOLAUS* magno sibi adjumento ad DEI memoriam fuisse, sibíque eo pacto continuam DEI præsentiam comparâsse fatebatur. Unum hoc biennio acerbissimum erat, quo lancinabatur optimi Juvenis conscientia, quòd cùm ad sacrum *Pœnitentiæ Tribunal* accederet, ordinariè non occurreret, quod sciens in divinas, aut Ordinis sui leges admisisset (similes angores innocentiæ *Beatum Aloysium* alióśque vitâ similes habuisse, in eorum gestis legimus, & audivimus) nam etsi ex priore vita aliquid, quod subjiceret Sacramento, repeteret, tamen in præsenti tempore, & vita Religiosa, de quo se accusaret, sæpe voluntarium nihil inveniebat. Timebat igitur, sese, & cæcitatem suam damnabat, & anxiè deplorabat; donec tandem à *Novitiorum Magistro* edoctus, communem hunc esse bonarum mentium timorem, securus imposterum, ac innocentiâ suâ tutus, animi tranquillitatem recuperaret. DEUM sibi præsentem, & se intuentem ipse vicissim varijs affectibus salutabat, adorabat, sinè ullo lo-

corum diſcrimine interiùs alloquebatur dulciſſimè; forum, plateæ, ſchola, refectorium, & loca cætera, erant pro templo, cùm non minore pietate quàm in templo, ut phraſi Sanctorum utar, *ab intus operaretur.* Curam minimorum (ſi quid in obſequio DEI minimum eſſe poteſt) omiſit nunquam; jam tum initium fecerat minima, quæ vitaret, alia minima, quæ faceret (id eſt defectus fugiendos, & actiones virtutum, quæ in ſpeciem minimæ viderentur, quas non negligeret) annotandi, qui labor tum cæptus, poſtea ſeni Nicolao opuſculum, quod vocavit: *De cura minimorum*, peperit, cùm frequenter in ore ſententiam illam haberet: Nihil parvum putandum, quod ſumma æſtimaret Majeſtas; nihil leve, quod ſumma reprobaret Sanctitas. His initiatus virtutibus, in *Religioſorum* numerum, biennio expleto, *Romæ* feliciter admiſſus eſt.

CAPUT V.

Studia Romana Philoſophiæ, & Theologiæ; Scrupulorum, ùt vocant, cruciatus divinitùs depulſi.

IAm Philoſophiæ, & Theologiæ curriculum nunquam intermiſsâ virtutum, & pietatis curâ, ùt confecerit, ipſiuſmet verbis ex *Libello Bene-*

neficiorum memorabimus: *Benedic anima mea Domino, quòd ab Anno 1594. dum audirem Logicam, quæ dicebatur incautis adferre naufragium ſpiritûs, & devotionis, cœperit ex magna miſericordia ſua dare mihi donum extraordinarium orationis, etſi à me nulla præmiſſa fuerit extraordinaria præparatio, & collectio animi, ſenſerímque magnas illuſtrationes intellectûs, & ardentiſſimos, puriſſimóſque voluntatis affectus, & redundantem in corpus, ſenſibilem devotionem, plenam amoris ſupernaturalis, & contritionis, actibus ejus diu durantibus, conjunctis cum omnium vitiorum, & defectuum etiam levium intenſo odio, ac omnis virtutis perfectioniſque ſtatui meo convenientis vehementiſſimo deſiderio. Atque his divinis illapſibus practicè, & experimentaliter didici ſanctitatem inſtituti dilectiſſimæ tuæ Societatis DEUS, in qua non obſtantibus literarum ſtudijs, & eo tempore, quod ſolet incautis diſtractionum ſcholaſticarum mole nocere, dediſti mihi donum contemplationis, in gradu tam alto, in quàm alto, in maxima ſolitudine, & ſeparatione ab hominum convictu, ſolent illud percipere dilecti ſervi tui, utì ex antiquis Eccleſiaſticis Hiſtorijs cognovi.* Hæc ille earum rerum, quæ intrà ſe gerebantur, optimè conſcius. Circa hoc tempus contigiſſe reor, quod cubiculi in Collegio Romano ſocius, *Cæſar à Boſco* narrabat: in vigilia S. *Catharinæ M. Nicolaum* orantem in ecſtaſi poſitum deprehendiſſe, quem nullo mo-

tu excitare, & sibi reddere potuerit, qua de re aliqua licèt tenuis mentio in Arcano *P. Nicolai* Libello reperitur. Etsi verò divinis solatijs recreabatur subinde: tamen, quia virtus adversis crescit, ùt in omni reliqua vita, DEUS, *qui Sanctorum vitam jam lætis, jam adversis, ùt ait Divus Chrysostomus, distinguit, & mirá varietate contexit*, aliam continenter patiendi materiam suppeditavit, ut nunquam deesset, quod doleret. Memini audivisse narrantem Senem, Deóque magno affectu gratias agentem, quòd tum in *Collegio Romano Ministri* nomine, disciplinæ domesticæ præesset Pater quidam, quem nominabat, qui etsi mitis ingenij, & svavissimis moribus, tamen *Nicolaum*, seu exercendæ, & probandæ virtutis, seu quacunque alia de causa, sic vilibus, & laboriosis munijs assiduè fatigabat, ut mirum esset: dum alij ad vineam, aut jucundàm aliquam ambulationem mitterentur, *Nicolaus* noster residere domi, aliorúmque vices supplere cogebatur; ad ægros, ad carceres, foris, domi, ad culinam & alia mediastinorum officia adhibebatur; lucernas *Collegij* aptare, domum verrere, munditiem omnibus in locis procurare jubebatur quotidie. Observabat vigili oculo Minister, an stato tempore surgeret, an ad quietem se componeret, an tardiùs ad mensam se conferret, & alia hujusmodi minora, in quibus si quid titubâsset, objurgabat acriter, transeuntem etiam siste-

ſiſtebat quærendo: utrùm hæc & illa, à ſe imperata peregiſſet? denique unus ille pro ſcopo erat ad Condiſcipulorum omnium admirationem, *Nicolao* noſtro omnes illas moleſtias placidiſſimo ſilentio exſorbente, atque in animo amoris, & venerationis erga virum affectus, quoad potuit, ardentiſſimos eliciente. Hæc cùm mihi narraret totus in divinas laudes effuſus, uni illi *Miniſtro* omnem propè *Religioſæ vitæ* profectum debere ſe ultro fatebatur, plùs illum in ſe beneficiorum contuliſſe, plùs profuiſſe, quàm decem alios *vitæ Religioſæ Miniſtros, & Patres*. Sed graviores brevì dolores, quò interiores, & vitales magìs, immiſit DEUS. Immiſſus igitur eſt, aut naturæ timidioris vitio injectus juveni moleſtiſſimus timor, nè quid eſſet in ſe, quod oculos *Divinæ Majeſtatis* offenderet; non ceſſabat cruciatus animi, repetebantur peccatorum confeſſiones, ſed fruſtrà; recurrebat ad Spirituales Patres, petebat conſilia, DEI lumen implorabat aſſiduè cum lacrymis, gravis erat inimicus, qui latebat in pectore, quem, quidquid ageret, expedire non poterat, cùm DEO grata non eſſe opera ſua ſuſpicaretur, aut timeret. Unica in tot malis cogitatio, cui acquieſceret aliquando ſuccurrebat: quòd nihil ſe omiſiſſe eorum, quæ DEO placerent, & omnia quæ grata eſſent DEO, ſedulò peregiſſe ſciret: ſed iſta ipſa cogitatio novis ſubinde angoribus, & triſti aliqua conſcientiæ ima-

imagine oblatâ, confundebatur, aut prorsus delebatur. Misertus tandem amantissimus *Redemptor* in causa sua laborantis, & excruciati doloribus servi sui, quadam die, postquam sanctissimam *Eucharistiam*, qua potuit pietate sumpsisset, Anno 1595. in templo nominis JESU, supra sacellum, quod vocant Angelorum, nullâ hujusmodi imaginatione, aut meditatione præmissa, oranti repentè, quasi scenâ diductâ, obtulit sese videndum augustâ specie aspectabilis CHRISTUS JESUS, crucem justæ magnitudinis ostentans, eidémque alterâ manu innixus hisce verbis *Italicis* vultu renidenti & placido *Nicolaum* allocutus: *questi sono la tua croce*; quasi diceret, scrupuli isti tibi pro tua cruce immittuntur. Quod gratissimum spectaculum, & dulcissima verba, momento, omnes illas perturbationes, & cogitationum tumultus deleverunt ex animo, neque ampliùs redierunt. At *Nicolaus* multis deinde diebus vigilans, ac sæpe etiam dormiens illam *Christi Salvatoris* imaginem assiduè in animo gerebat, ut præsentem spectare *Christum*, & dulcissima verba audire sibi videretur. Ajebat deinde *Nicolaus*, imaginem *Christi*, quæ *Romæ* apud *Moniales S. Sylvestri*, ex *Archetypo Abagari* expressa monstratur, magnam similitudinem ad vultum Servatoris, qui apparuisset, habere, excepto quòd placidior, & serenior *Christi* vultus sibi visus fuisset. Neque satis divinæ liberalitati

tati visum angores, & timores depulisse; ut nuperam suam præsentiam confirmaret, & dubium omne eximeret, longè altiori, & diviniori modo usus est. Orantem enim *Nicolaum* in vinea *Sanctæ Balbinæ* internâ & clarâ allocutione, ut à se prodire internam vocem nihil dubitaret, admonuit: placere sibi, & *DEO Patri*, ut dolorem de peccatis, & amorem DEI ardentissimum dari sibi cælitùs peteret; id signum fore, quo intelligeret animam suam DEO gratam esse ac fuisse, licèt tot nuper doloribus excruciatam, & quodam modo cruentatam. Paruit *Nicolaus* divino instinctui, atq;, ùt erat cautissimus, & quid in animo suo gereretur solicitè observans, nè humani generis inimicus, qui frequenter etiam bonis desiderijs piorum, venenum suum gaudet affundere, rei conscius esset, orationem ad DEUM non verbis, sed solâ mentis voce usus suppliciter peregit per merita *Crucifixi Domini* postulans, quod sperabat. Ecce autem sub vespertinum tempus, cùm jam motio illa animi evanuisset, & præteritæ suæ petitionis memoriam non haberet, subitò commoveri se intimè ad lacrymas, occurrente memoriâ peccatorum sentit; concutiebatur singultibus, lacrymis ora rigabantur, aderant complures è Nostris, intérque eos *P. Caspar Alperius* quid factum esset nescientes; quorum ille oculos non ferens proripuit sese è medio, & solitudinem nactus, ex dolore primùm, deinde ex amore ubertim

tim flebat, neque, nisì longo pòst tempore, gemitibus & suspirijs modum imponere potuit, suam ingratitudinem, & DEI vicissim in se amorem revolvens; ut si lacrymas, vinum *Angelorum*, rectè vocaverit *Divus Bernardus*, *serm. 30. in Cant*: lætam vindemiam illo die *Sanctos Angelos* collegisse, atque in cœlum attulisse dici possit. Annotavit hanc divini in se amoris certitudinem, sed brevibus ùt solet verbis: *16. Julij: certum à DEO signum, quòd esset in eius gratia, post fusas hanc ob rem ad eum preces habuit.*

CAPUT VI.

Virtutes quædam Nicolai, dum Studijs daret operam, quibus se potissimùm ad Sacerdotium ritè suscipiendum comparavit.

INcredibiliter virtutis studium in *Nicolao* crescebat ex vicinitate temporis, quo sacros ordines suscepturus erat, qui Anno *Theologiæ* quarto ex more Societatis conferuntur. Itaque seipso humilior, in oratione frequentior, ardentissimis desiderijs rapiebatur in DEUM. Duo præcipuè incitabant hominem, jam antè ad summam perfectionem cursu contendentem; alterum *Divina Majestas*, quam ùt *Authorem* omnis boni, *Creatorem*

rem & *Redemptorem*, pro merito devenerari se posse gaudebat, & æquale aliquid infinitæ ejus *Majestati*, & beneficentiæ offerre; neque istud modò, sed amantissimi *Patris* cor, *Filij* sui oblatione, quasi svavissimo odore, recreare cupiebat. Quamvìs enim, ajebat, certum sit DEO optimo, maximo, ob divinæ naturæ infinitam excellentiam, quâ beatus est, nihil molestiæ, nihil anxietatis, aut doloris ab hominum nefarijs cogitatis, & actis inferri posse, neque contrà à cultu bonorum voluptatis, & beatitudinis intrinsecus accedere: tamen si verè servi DEI esse volumus, nostrâ interest, ea DEO obsequia præstare, cúmque honorem exhibere, eo amore in ipsum ferri, ut si natura ejus beata aliunde, quàm à seipsa perficeretur (quod fieri omnino non potest) gaudium aliquod, & consolationem reciperet, præcipuè tot læsa injurijs peccantium, tanto contemptu & odio sceleratorum hominum offensa, & irritata; quam DEI iram in peccantes sapientissimè explicuit *Divus Ambrosius Lib. de Noë & Arca, c. 4.* Et hoc est, quod toties occinebat postea senex, ac toties in ejus precationibus, quas scripto comprehendit, repetitur: *Ad gustum DEI, ad cordis ejus amantissimi gaudium, & solatium, ad cor DEI recreandum, &c.* Qui modus loquendi familiarissimus seni fuit, & millies in ejus asceticis operibus invenitur. Alterum, quo se incitari magnopere ad *Sa-*

Sacerdotium ritè ſuſcipiendum ſentiebat, fuit gratia, quæ in Sacramento illo Diviniſſimo confertur; quæ licèt ex infinitis *Chriſti* meritis proficiſcatur, & exhauriri non poſſit, tamen menſurâ finitâ coërcetur, & aptitudini noſtræ, ut ità loquar, proportionatur (quam ſententiam ſæpius à *Patre Arrubale Magiſtro* ſuo in *Theologia* inculcari audierat) non enim divitias omnes gloriæ & gratiæ ſuæ in quodlibet vas transfundit DEUS, ſed uberiores capacioribus, minores, & ut ità dicam, tenuiores ijs, qui minore deſiderio, & meritis coarctantur. Atque illud peculiare ſæpe à ſene audiebam: qui ad Ordines ſacros præclarè comparatus accederet, eum feliciùs ſacra illa munia obiturum, utpote Sacramentalibus gratijs inſtructum à DEO; efficaciora monita daturum, conſcientias ſalutariter directurum, denique omnia, quæ Sacramentorum ſunt, ei ſub manu quodam modo feliciter proceſſura. Id ex vita *Nicolai* evidenter patuit, ad quem ultro etiam non vocati, maximi peccatores affluebant, noxas confitebantur, conſilia & auxilia petebant admirantibus cæteris, quòd illum unum, ignotum aliàs, omnibus cæteris anteferrent & præeligerent; at ille alacer operam illis dabat, ſuaviſſimè animos tractabat, & in omni ſacerdotali functione cum dignitate, facilitate, & ingenti animarum utilitate verſabatur; quem ille accurſum, primæ illi ſuæ ad Sacerdotium præparationi,

quam

quam diligentiſſimè, & ſtudioſiſſimè præmiſerat, ſolebat tribuere. Hoc tempore ante Sacerdotium, omnem rerum creatarum amorem exuere conabatur, humana ſolatia contemnebat, in DEO ſpes & res ſuas reponebat; corporis commoditates procul averſabatur, eos ſibi tantùm comites & ſocios deligere ſolitus, qui de rebus divinis colloquia miſcere gauderent; erátque quoddam inter eos fœdus virtutis, ut à menſa ad certum recreationis locum, quaſi temere, & caſu convenirent, & divina, & quæ ad virtutem facerent, ſecum loquerentur. Accidit hoc tempore, quod *Philoſophos & Theologos* omnes perterruit, & à nimio literarum amore & ſtudio ad virtutis & ſanctimoniæ curam convertit. Erat *P. Nicolao* Condiſcipulus nomine *Joannes Maria* Campori, qui poſtea in *India Orientali,* magnâ ſanctitatis famâ relictâ, eſt mortuus; is ergo diſputaturus in ſchola, die diſputationis decretorio, non quidem præſcriptam à regula meditationis horam omiſit peragere (erat enim pietati, & obedientiæ mirum in modum deditus) ſed preculas quaſdam certas, quas ſponte & libere ſibi ipſe injunxerat, quò plus haberet temporis ad diſputationem illius diei comparandi ſeſe, neglexit. Dum id maximè ageret, Theſésque ſuas relegeret, repentè voce cœleſti admonetur: *Putáſne te poſſe, ſinè meo auxilio, bene diſputare? an non faciliùs orando meum poteſt obti-*

tineri auxilium, quàm studendo? Qua divinâ voce increpitus, nunquam postea studiorum gratiâ quidquam, quod ad DEUM pertineret, omisit. Hæc cœlestis monitio per *Collegium Romanum* sparsa, omnes *Scholasticos* nostros perterrefecit, ut accuratiùs divina tractarent, neque existimarent orationibus solitis studia literarum impediri. Alterum, quod *Scholasticos* nostros in virtutis cursu mirificè confirmavit, néve in literarum studijs intepescere *Religiosæ* perfectionis amorem, sinerent, gravi exemplo admonuit (Anno 1597. accidit) quod *P. Nicolaus in Opusc: 6. c: 10.* hisce verbis refert: *An. 1597. mortui sunt, me præsente, in Collegio Romano duo fratres Scholastici, mei Condiscipuli, Marcus Antonius Ridolphinus, & Celsus Finettus Senensis, ambo valde exemplares, modesti, devoti, obedientes, uno verbo, nullum unquam in ullo eorum peccatum, nullam imperfectionem notavi, vivendo cum illis aliquot annis: tamen ùt scriptum est in annuis literis Societatis Collegij Romani impressis (& ante mortem eorum, res erat inter nos vulgata) Beatissima Virgo Maria apparens Celso Finetto dixit, eum salvum fore, sed quatuor annis in Purgatorio futurum, Ridolphinum verò tantùm duobus, & post mortem ejus hunc quoque (uti contigit post quindecim circiter dies) moriturum.* Subtexit deinde P. *Nicolaus* narrationem eandem ex *Annuis Collegij Romani*, quam *P. Sebastianus Beretarius* con-

conſcripſit, ubi dicitur primum ad XI. Calendas Octobris, alterum quarto Idus Octobris in Domino quieviſſe. Id exemplum multum valuit ad excutiendam è ſociorum pectore ſocordiam, cùm duas tanto candore animas, quæ tanta ſinceritate ſuæ primitias ætatis DEO dedicâſſent, iter ad cœleſte gaudium tanto pœnarum intervallo obſeptum habuiſſe audiverunt. At *Nicolaum* noſtrum *Philoſophia & Theologia* tantùm abeſt, ut à præſentia DEI, & amore avocarent, ut etiam DEO intimè jungerent, cùm omnia referret ad DEUM, ut ſtudia *Theologica* non multùm à ſacra aliqua contemplatione diſcreparent. Ea de cauſa illos libentiùs volvebat *Authores*, qui ſcientias ità tractarent, ut principia virtutum, & ſanctimoniæ, eâdem operâ in animis legentium insererent. Divi *Thomæ Aquinatis* præcipuè lectione tenebatur, cujus doctrina paſceret intellectum, & voluntatem inflammaret, dicebátque meliùs percipi ejus ſapientiam ab ijs, qui veluti experiendo quodam dulci pietatis affectu ejus lectioni operam darent, quàm qui ſinè omni affectu eum volutarent, & ſinè ullo affectûs impreſſo veſtigio tranſcurrerent. Plerumque fiebat, ut in difficillimis quæſtionibus, interno ad DEUM recurſu, momento circumfuſam quandam lucem aſpiceret, quâ irradiatus, quod proponebatur, & feliciter penetraret, & faciliùs explicaret; ídque notavit ſibi accidiſſe frequentiùs

tiùs, cùm *Physica & Metaphysica* repetitioni *Nostrorum* præesset; *Theologiam verò*, quam postea & Speculativam, & Positivam docuit, magna cùm laude diligentiæ insignis & profectûs absolvit. *Divum Thomam*, ùt antè innueram, ejúsque articulos omnes habebat in numerato, cujus rei libelli ab eo editi præbent indicium. Sententias *Philosophicas*, quæ receptis *Teologorum* principijs adversarentur, atque etiam *Theologicas*, quæ suspectæ viderentur, & vel *Pontificum* decretis, vel Societatis nostræ judicio vetarentur, vel aliquam audaciam & novitatem saperent, collegerat, & unum in locum congesserat, ut quid sibi vitandum esset, faciliùs cognosceret, ac velut scopulos declinaret; maximè verò si quid magnificum & ingens de divinæ naturæ præstantia ejúsque admirandis perfectionibus reperisset, id omne ad ideam illam, quam de DEO conceperat, adjungebat, ùt, quod maximè svadebat *Pater Ludovicus de Ponte (init. Duc. spirit:)* excellentissimam quandam imaginem divinitatis, & perfectionum divinarum in animo circumferret, & vel nominato DEO species illa menti repræsentaretur. Unde magnopere jam in ætate senili nobis Author esse solebat, ùt *D. Thomæ Aquinatis opusc. 53.* iterum atque iterum, neque id perfunctoriè, legeremus, quod est *de Perfectionibus DEI*. Quò enim præstantiorem *Ideam Divinitatis* depictam, & quasi inustam vir Religiosus habeat,

eò

eò reverentiorem tantæ *Majestatis* futurum, & amaturum magis suum *Creatorem*, & quod consectarium est, majora merita sibi comparaturum in cœlis, & tanto DEO promptiùs serviturum. Denique in *Theologia* absolutam descriptionem & lineamenta duxit Religiosæ vitæ, & quæ sibi facienda inposterum essent, jam tum præcepit animo: ***Modum sacrum audiendi, modum confitendi, modum communicandi, ad meditandum*** divina documenta, & his similia conscripsit, quæ postea Sanctorum sententijs, & exemplis illustrata, multa illi opuscula pepererunt; tum etiam *Deiparentem MARIAM* assumpsit in Matrem, eíque totum se dedidit; cui etiam demerendæ ***votum edidit Immaculatæ ejus Conceptionis***, vel sangvine & morte propugnandæ, nováſque ipse rationes, & argumenta inveniebat, quibus piam sententiam tueretur, quæ ipsa *Theologiam* docentibus communicare solebat. His igitur virtutibus, & quàm plurimis, ùt vocamus, mortificationibus corporis, & animi præcipuè, quas Sacerdotio appropinquante quotidie augebat; tum etiam vilium in speciem officiorum, culinæ, & similium quotidianâ frequentatione (quorum illi copiam liberalissimè *Ministri* faciebant) optimè comparatus ad offerendum *Divinæ Majestati* primum Sacrificium accessit, ingenti soliditate, ut hoc extremum adjiciam, robustæ cujusdam in omni bono voluntatis.

Abjecerat enim & quodam modo conculcârat omnes humanos metus & reſpectus,quos velut inanes aranearum telas in DEI conſpectu intuebatur, & pro nihilo ducebat. Hæc dum viderent quidam ſiniſtri alienæ vitæ Cenſores, qui ex ſeſe alios metiuntur (nam in vitium credula turba ſumus, ùt ait *Poëta*) carpebant nimirum, & illam *Nicolai*, ſuâ ſe virtute involventis abſtractionem pro hypocriſi, & duritie morum habebant; ajebant etiam affectatam illam eſſe virtutem, & ad tempus aſſumptam, tempore etiam expiraturam; pedetentim in virtute gradiendum, non inchoandum à ſummis, niſi lapsûs periculo exponi velimus: eſſe quandam etiam ſanctitatis juventutem, quæ,velut in vitibus & fæcundiſſima ficu videmus, gemmas protrudat pulcherrimas, quæ nunquam, quia præcoces, ad maturitatem perveniant. Proferebant exempla notiſſima multis, eorum, qui velut Aquilæ recto volatu cœlum petijſſent, & irretortis oculis Solem intuebantur, paulò pòſt; victis à Sole oculis, cæcutientes ipsâ itineris longinquitate & altitudine fatigatos in vitam communem deſcendiſſe; & jam nihil niſi virtutis nudam memoriam circumferre. At *Nicolaum* noſtrum nihil hæc terriculamenta movebant, qui gratiæ divinæ præſidijs circumvallatus convaleſcebat quotidie, & corroborabat, augebátque virtutem, illud *Paulinum* repetens: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat,*

tat, annotavítque in libello, ubi eo tempore lumina quædam cœlestia, nè exciderent, ſcribebat: *Eam ſibi indigniſſimo ex miſericordia DEI inditam voluntatem, & in bono ſoliditatem, ut, ſi ſolus inter infideles viveret, aut in quocunque loco, in quo ſumma vivendi licentia regnaret, eam eſſet regularum, & diſciplinæ obſervantiam retenturus, quam in oculis omnium ſuperiorum, habitâ ratione neceſſitatis obſervaret.* Ad eandem virtutis ſoliditatem multum contuliſſe puto, viros eximiæ & miræ ſanctitatis, quibus cum *Romæ* vixit, ac præcipuè *Bellarminum*, quem *Rectorem habuit*, & *P. Antonium Spinellum*, quem ſuum *in ſpiritu Magiſtrum*, *Confeſſarium*, deinde & *Rectorem*, & *in Provincia Romana Provincialem*, in opuſculis ſuis ſæpiſſimè commendat.

CAPUT VII.

Nicolaus ſuſcepto Sacerdotio vehementiùs ad Sanctitatem inflammatur; Romanorum de ejus Sanctitate opinio; viſio quædam cœleſtis de ejus virtutibus, & quàm pretioſa anima illius fuerit in conſpectu DEI.

SAcerdos *Romæ* An. 1601. 14. April. Sabbatho ante Dominicam Paſſionis conſecratus, propiùs ſibi videbatur ad Thronum Divini-

tatis acceſſiſſe *Nicolaus* : itaque accuratiorem curam indies rerum etiam minimarum in itinere Sanctitatis habebat, augebat orationes, ac non modò à culpæ reatu liberum præſtabat animum, ſed etiam ut oculis Divinæ Majeſtatis gratior & jucundior appareret, cruciatibus corporis ultrò ſuſceptis, pœnas peccatorum extingvere, & abolere cupiebat. Non enim ſatìs decorum credebat, ſi in conſpectu DEI quotidie adſtans reus multarum pœnarum inveniretur, ideóque ſæviebat in corpus crudeliter, ut nihil DEO offenſo, quantum fieri poſſet, deberet, & velut *Amicus Sponſi, neque maculam, neque rugam*, id eſt, neque reatum culpæ, neque pœnæ, in anima ejus oculus cœleſtis aſpiceret; frequentabantur verberationes, &, ùt dicimus, diſciplinæ quotidianæ, cilicia admovebantur corpori, ſubtrahebatur cibus, quidquid gratum palato ſe offerebat, reſpuebatur, quidquid ſenſui odioſum, & acerbum accidere potuit, quærebatur, & inventum adhibebatur. Affirmabat coram me, ſenex optimus, ſe tum ſolido triennio, aut quinquennio ſuper duro aſſere ſomnum cepiſſe, ut ſimul & durè cubaret, & caſum, ſi fortiter indormijſſet, timeret. Nec omittebat *P. Nicolaus* animi cultum, & continenter Divinis affectibus occupabatur: parcior inde cum ſocijs converſatio, cautus ſermo, oculi, & multò magìs mens ſuper cuſtodiam ſui ſtans aſſiduè, vultus tamen ſem-

ſemper amœnus, & inter Sacra præcipuè inflammatus, & igneum quiddam ſpirans, in admirationem & venerationem plurimos, etiam *Principes* viros, trahebat. Fuerunt jam tum ex ſocijs alij, qui amore ſanctimoniæ ejus, & illuſtribus exemplis illecti, ejus dicta, factáque omnia curiosè obſervarent, & in acta referrent; in quæ cùm *Nicolaus* incidiſſet fortuitò, erubuit ſcilicet (ùt ſolebat) omniáque illa folia conſcidit, omnium ſe infimum reputans, & dignum qui non laudaretur, ſed potiùs omnibus tormentis laceraretur. Ac nihilominus ad altiora decora aſpirabat quotidie, aptiſſimúmque illi viſum eſt, *Chriſtum* Dominum, ſub panis ſpeciebus latentem, Hoſtiam æterno *Patri* gratiſſimam, quàm proximè imitari, & exprimere. Placuiſſe *Divinæ Majeſtati* illum imitandi Filij ſui conatum mirabili viſo oſtenſum eſt: *Theodora Celſa* in parthenone ſacro, *Romanæ* urbis celeberrimo, *Turrim ſpeculorum* appellant, DEO devota Virgo viſis cœleſtibus identidem honorabatur, quæ multi ſapientiſſimi Viri, atque inter eos *P. Nicolaus de Almazan S. I. Hiſpaniæ Aſſiſtens*, & *P. Virgilius Ceparius* in diſcretione ſpirituum exercitatiſſimi, examinârant, & probârant. Ea cùm aliquando *P. Nicolai* Sacrificio intereſſet, eo peracto, diſcedentem ſic affatur: *O Pater gratias ago, quia me in hoc Miſſæ Sacrificio magnâ conſolatione impleviſti! oſtendit enim mihi DEUS hoc tempore,*

quantopere illi placeat anima Reverentiæ vestræ, & quòd in illa tanquam in suo dilectissimo tabernaculo cum gustu resideat! Nec plura coram *P. Nicolao*, at coram alijs diu post hæc Anno 1646. explicans (vixit enim longissimè & hoc ei visum initio hujus sæculi oblatum est) asseruit: *P. Lancicium, dum sacrificaret, visum à se varijs vestibus, & torquibus aureis ornatum, & animam ejus, quasi in glorioso statu conspectam; simul vocem divinam sibi auditam, illum hortum deliciarum suarum compellantem; porrò torquibus aureis, & pretiosis vestibus varias ejus virtutes designatas, ac potissimùm puritatem ac integritatem rectæ, & DEO uni placere quærentis operationis.*

CAPUT VIII.

Imponitur Patri Nicolao officium Archiva Romana S. I. excutiendi, & materiam pro Historia nostri Ordinis præparandi. Floret amicitijs Sanctorum Virorum.

REgebat tum sapientissimè & ex DEI nutu, ùt multis exemplis patuit, *Societatem* universam *Adm. R. P. Claudius Aquaviva*, atque inter cætera, quæ conservando primævo spiritui *Societatis nostræ*, & ad imitationem *Majorum* ma-


maximè profutura invenerat, constituit; ut Historia Ordinis nostri ab ipsa origine, & incunabulis quàm diligentissimè scriberetur. Circumspicienti *Claudio*, quos nam potissimùm ex omnibus socijs deligeret, maximè idonei ad id visi sunt, duo *Nicolai, Orlandinus & Lancicius*; quorum posterior materiam studiosè colligeret, prior, quia elegantiâ & gravitate styli valebat plurimùm, materiam adhuc rudem & informem in Ordinem, adhibito styli cultu, redigeret; describit hunc suum & socij laborem ipse P. *Nicolaus* opusculo 17. l. 1. c. 1. Patuerunt mox *Lancicio Archiva Romana Societatis* omnia, quæ ille accuratè pervolutavit, & totum sexennium eo in glorioso labore consumpsit ab anno videlicet 1600. ad annum usque 1606; ac præcipuè primordia *Ordinis*, & prima Societatis fundamenta, usque ad beatissimum *Sancti Fundatoris Ignatij* è vita excessum feliciter eruderavit, ut Historia ipsa loquitur; neque id modò, sed omnia ad eam rem præsidia, & adjumenta sibi studiosè comparavit: etiam in *Castro S. Angeli* scripta authentica, quibus *Societatis* nostræ tempore gesta potiora notabantur, per favorem *Cardinalis Cæsij*, de expressa *Clementis VIII.* licentia inspexit. Certè *Concilij Tridentini* acta, & arcana in manibus habuisse meritò gloriatur, quæ postea *Cardinali Palavicino*, *Concilium* illud describenti, uberem & benignam materiam præbuerunt;

runt; neque prætermisit *Bibliothecam Vaticanam* inspicere, ad quam ei aditus sæpenumero patuit, tum maximè cùm An. 1616. *Romam* accessisset. Jam senes omnes, qui *S. Patrem nostrum Ignatium* familiariter novissent, ubiubi locorum degerent, *Carthusianos*, *Benedictinos*, & aliorum *Ordinum* Viros, *Prælatos*, *Nobiles* conciliandos sibi, & demerendos sumpsit, præsentes familiariter appellans, absentes literis consalutans, eáque ratione, quidquid de *S. Ignatij* rebus scirent, sagaciter explorans, ùt ex ejus libris, & maximè opusculo 17. *de Præstantia Instituti Societatis*, satìs intelligitur. Audivi sæpius, cùm in Domino gloriaretur, *32. S. Ignatij familiares* ex nostris, amicitiâ complexum esse, qui multa de *S. Ignatij* virtutibus commemorâssent rogati; duos insuper primorum decem Patrum, videlicet *Alphonsum Salmeronem*, & *Nicolaum Bobadillam*, à se visos gaudebat: *Petrum* verò *Ribadenejram*, Scriptorem *Vitæ S. Ignatij*, & oculatum gestorum Testem, intimâ sibi amicitiâ conjunxerat, quam uterque literis ultro citróque missis (quarum nonnullas ipse, à Sene in memoriam Viri asservatas, memini me legisse) alebant; satìs constat, tertiam *S. Ignatij* vitam, quæ *Authorem Ribadenejram* præfert, & imaginibus *Augustanis* plurimis distingvitur, *P. Lancicio* adjuvante, & ex *Archivo Romano* argumentum suggerente editam esse, quam postea *P. Gregorius Mayr* græ-

græcè reddidit, & vulgavit. Eandem operam præstitit *P. Julio Nigronio*, cum eruditissimo volumine *Societatis JESU* regulas commentaretur. Modestè etiam gloriatur, & pro DEI in se beneficio agnoscit novisse probè, & familiariter versatum esse, cum *P. Oliverio Manaræo* (de quo multa laudatissima in *Historia Societatis* referuntur) *P. Realino, P. Masello*, utroque *Cicotto*, *P. Carolo Regio*, *P. Bernardo de Ponte, P. Fogliano* celebri illo *SS. Trinitatis* cultore, *P. Fabio de Fabijs*, *P. Francisco Costero, Benedicto Palmio, Benedicto Pererio, Joanne Ignatio* (olim *S. Ignatij* cubiculario) *Prospero Malavolta*, *Mario Beringutio*, *Laurentio Magio*, *P. Joanne Baptista Viola*, qui fuit unus ex primis sexaginta Professis nostræ Societatis. Quos hìc enumeravi, *S. Ignatio* charos, & acceptissimos fuisse constat. Et quis omnes recenseat? Inter familiares quoque numerabat *P. Jacobum Crucium*, primum Seminarij, à *S. Carolo Borromæo* fundati, Rectorem. Mirum illud, quòd non modò intrà, sed etiam extra Societatem omnes propè magnos vitæ sanctimoniâ viros, suæ ætatis sibi faventissimos in *Italia* experiretur; quare etiam, cùm ab *Italia* abesset, frequentibus magnorum, sanctorúmque Virorum Epistolis salutabatur, quoties verò in *Italiam* revertebatur, tanquam magnus DEI servus à plerisque habebatur. Referam in exemplum paucula, plura in progressu vitæ patebunt:

Ju-

Clementi VIII. charum, & *Visitatorem Apostolicum*, virum integerrimum, intimum habebat. *Andreas Sorbellongus*, *Episcopus Eugubinus*, *Visitator Romanarum Ecclesiarum Clemementis VIII.* jussu constitutus, vir eximiæ prudentiæ, nec minoris sapientiæ *P. Nicolaum* ad suas confessiones adhibebat, & ab eo, etsi non ità pridem Sacerdotio initiatus esset, exercitijs spiritualibus excolebatur. *Camillus de Lellis*, *Fundator Ordinis Clericorum ministrantium infirmis*, vir notæ in Italia Sanctitatis, & *Jacobus Candidus*, *Episcopus*, qui in processu informativo pro ejus canonizatione facto, præter alia valde admiranda, tres mortuos suscitâsse scribitur, quod juramentis Testium oculatorum probatum est, arctissimâ sanctæ amicitiæ necessitudine *Nicolao* jungebantur, ùt ipsemet commemorat opusculo 17. c. 4. Infinitus essem si nomina Jllustrium sanctimoniâ Virorum, omnia recitare vellem. *Romæ* universim *Aulam Pontificiam*, & *sacri Palatij Apostolici Magistros* obsequijs primùm, deinde etiam æstimatione virtutum planè suos fecit, sibique addictissimos.



CA-

CAPUT IX.

Urbis Romæ grandis de P. Nicolao æstimatio, & amor. Novo invento Beatorum & celebrium virtute hominum honores iteratò promovet. Præfectus spiritûs Primarius Collegij Romani ab Adm. R. Patre Claudio constituitur.

PLena eo tempore erat *Italia & Roma*, ùt modò innueram, Jllustribus doctrinâ & sanctimoniâ Viris, tum *Italis*, tum alibi gentiun natis, qui aut negotiorum causâ, aut disputationum habendarum (quæ tum de *gratia*, déque alijs controversis articulis celebrabantur) aut per caussam Anni sæcularis, aut postea *Romam* confluxerant, quos inter *Franciscus Soarius*, *Gregorius de Valentia*, aliíque ex Nostris; ex *Religionibus* alijs *Theologi* quàm plurimi. Qui *Romam* stabiles incolebant, *Toletus*, *Baronius*, *Bozius*, aliíque innumeri, à quibus *Roma* mirum in modum illustrabatur. Sed *Bellarminum* suspiciebat maximè *P. Nicolaus*, quem *Rectorem* in *Collegio Romano* A. 1596. habuisse se gloriabatur, cujus plurimas, spiritu divino plenas, exhortationes, & earum argumenta narrabat nobis; eam potissimùm, quâ refellebat, quòd falsò de se spargi audierat, quasi dixisset:

runt; neque prætermisit *Bibliothecam Vaticanam* inspicere, ad quam ei aditus sæpenumero patuit, tum maximè cùm An. 1616. *Romam* accessisset. Jam senes omnes, qui *S. Patrem nostrum Ignatium* familiariter novissent, ubiubi locorum degerent, *Carthusianos*, *Benedictinos*, & aliorum *Ordinum* Viros, *Prælatos*, *Nobiles* conciliandos sibi, & demerendos sumpsit, præsentes familiariter appellans, absentes literis consalutans, eáque ratione, quidquid de *S. Ignatij* rebus scirent, sagaciter explorans, ùt ex ejus libris, & maximè opusculo 17. *de Præstantia Instituti Societatis*, satìs intelligitur. Audivi sæpius, cùm in Domino gloriaretur, *32. S. Ignatij familiares* ex nostris, amicitiâ complexum esse, qui multa de *S. Ignatij* virtutibus commemorâssent rogati; duos insuper primorum decem Patrum, videlicet *Alphonsum Salmeronem*, & *Nicolaum Bobadillam*, à se visos gaudebat: *Petrum* verò *Ribadenejram*, Scriptorem *Vitæ S. Ignatij*, & oculatum gestorum Testem, intimâ sibi amicitiâ conjunxerat, quam uterque literis ultro citróque missis (quarum nonnullas ipse, à Sene in memoriam Viri asservatas, memini me legisse) alebant; satìs constat, tertiam *S. Ignatij* vitam, quæ *Authorem Ribadenejram* præfert, & imaginibus *Augustanis* plurimis distingvitur, *P. Lancicio* adjuvante, & ex *Archivo Romano* argumentum suggerente editam esse, quam postea *P. Gregorius Mayr* græ-


græcè reddidit, & vulgavit. Eandem operam præstitit *P. Julio Nigronio*, cum eruditissimo volumine *Societatis JESU* regulas commentaretur. Modestè etiam gloriatur, & pro DEI in se beneficio agnoscit novisse probè, & familiariter versatum esse, cum *P. Oliverio Manaræo* (de quo multa laudatissima in *Historia Societatis* referuntur) *P. Realino*, *P. Masello*, utroque *Cicotto*, *P. Carolo Regio*, *P. Bernardo de Ponte*, *P. Fogliano* celebri illo *SS. Trinitatis* cultore, *P. Fabio de Fabijs*, *P. Francisco Costero*, *Benedicto Palmio*, *Benedicto Pererio*, *Joanne Ignatio* (olim *S. Ignatij* cubiculario) *Prospero Malavolta*, *Mario Beringutio*, *Laurentio Magio*, *P. Joanne Baptista Viola*, qui fuit unus ex primis sexaginta Professis nostræ Societatis. Quos hìc enumeravi, *S. Ignatio* charos, & acceptissimos fuisse constat. Et quis omnes recenseat? Inter familiares quoque numerabat *P. Jacobum Crucium*, primum Seminarij, à *S. Carolo Borromæo* fundati, Rectorem. Mirum illud, quòd non modò intrà, sed etiam extra Societatem omnes propè magnos vitæ sanctimoniâ viros, suæ ætatis sibi faventissimos in *Italia* experiretur; quare etiam, cùm ab *Italia* abesset, frequentibus magnorum, sanctorúmque Virorum Epistolis salutabatur, quoties verò in *Italiam* revertebatur, tanquam magnus DEI servus à plerisque habebatur. Referam in exemplum paucula, plura in progressu vitæ patebunt:

Ju-

Julium Mancinellum Virum opinione multorum *sanctum*, eousque devinxerat sibi, ut suos spirituales libellos, in quibus cœlestia visa, modos Sacrum celebrandi, orandi, gratias DEO post Sacrum agendi, aliáque mira, quæ secum operari dignatus est DEUS, illustrationes, item plurimas visiones, raptus, revelationes, prædictiones, rerum occultarum cognitiones divinitus infusas, sui corporis à terra miraculosas elevationes, infirmorum curationes &c. quas suâ manu conscripserat, *P. Nicolao* donaverit; quos ego, à Sene acceptos, ipse legi, præcipuè memorabilem illam *Mancinelli* visionem, in qua DEI Mater *Patronam se Regni Poloniæ* esse, & suis precibus apud *Filium*, nè Regnum illud pro merito castigaretur, perfecisse, significabat. *P. Bernardo Colnago* usus est perfamiliariter, cui ille, velut Amico intimo, omnem vivendi & DEO serviendi rationem, totam denique vitam, ultrò aperuit, neq; tacuit visiones sibi cœlitus oblatas, miracula, gratias, & beneficia in se DEI, tum omnes illas artes, quibus virtutes obtegebat suas, & alia hujusmodi, quæ postea *à P. Nicolao* consignata, materiam sufficientem subministrârunt Scriptori vitæ *P. Colnagi*, quæ nuper admodum lucem aspexit. Denique nemo ferè Majorum *Patrum* & *Superiorum Nostrorum* in *Italia* inveniebatur, qui *P. Nicolai* labores, & conatus non probaret. *Admo. R. P. Claudius*, addictissimus *P. Nicolao*

lao ſemper fuit, ejúſque ſpiritum conformem Societatis Inſtituto aſſeruit; *Adm. R. P.* noſter *Mutius Vitelleſcus*, *Nicolaum* prorſus complectebatur, & faciebat maximi, eundémque *Romam* ad *Congregationem* venientem, (in qua ipſe *Mutius* electus eſt, & Societati univerſæ *Præpoſitus*:) *Romæ* apud ſe retinuit. Adm. *R. P. Vincentius Caraffa* deamabat *P. Nicolaum*, in accuſationibus defendebat, cujus etiam Imperio adactus eſt *Nicolaus*, ut præcipua in ſe DEI beneficia conſignaret literis, quod ſenex cùm tremula manu præſtare non poſſet, *R. P. Caſimiri Kojalowicz*, qui hanc vitam primus inchoavit, operam adhibuit. Denique quidquid erat *Romæ* illuſtrium ſanctimoniâ Virorum, ſibi conjunxerat *P. Nicolaus*, præcipuè doctiſſimæ illius, & pijſſimæ *Oratoriæ Congregationis Patres* uſque ad intimam familiaritatem noſcebat; quàm amicè *Antonio Gallonio* uſus ſit, *amici*, quo eum in opuſculis ſuis indigitat, titulus oſtendit; ad id permovebatur maximè *S. Philippi Nerij*, Fundatoris eorum, veneratione, quem viventem viderat, & in eo funere, quod ei univerſa *Roma* adornavit, Anno 1595. cum *P. Joanne Baptiſta Peruſco* (qui *S. Philippo* aliquot annis intimus fuit) pompæ interfuit; hunc præ cæteris mirabatur, amabat, & quantum per leges Societatis licebat, imitabatur. *Marcum Antonium Maſſam S. Philippi Nerij* familiarem, & filium ſpiritualem, valde
Cle-

Clementi VIII. charum, & *Visitatorem Apostolicum*, virum integerrimum, intimum habebat. *Andreas Sorbellongus, Episcopus Eugubinus, Visitator Romanarum Ecclesiarum Clemementis VIII.* jussu constitutus, vir eximiæ prudentiæ, nec minoris sapientiæ *P. Nicolaum* ad suas confessiones adhibebat, & ab eo, etsi non ità pridem Sacerdotio initiatus esset, exercitijs spiritualibus excolebatur. *Camillus de Lellis, Fundator Ordinis Clericorum ministrantium infirmis*, vir notæ in Italia Sanctitatis, & *Jacobus Candidus, Episcopus*, qui in processu informativo pro ejus canonizatione facto, præter alia valde admiranda, tres mortuos suscitâsse scribitur, quod juramentis Testium oculatorum probatum est, arctissimâ sanctæ amicitiæ necessitudine *Nicolao* jungebantur, ùt ipsemet commemorat opusculo 17. c. 4. Infinitus essem si nomina Jllustrium sanctimoniâ Virorum, omnia recitare vellem. *Romæ* universim *Aulam Pontificiam, & sacri Palatij Apostolici Magistros* obsequijs primùm, deinde etiam æstimatione virtutum planè suos fecit, sibíque addictissimos.



CA-

CAPUT IX.

Urbis Romæ grandis de P. Nicolao æstimatio, & amor. Novo invento Beatorum & celebrium virtute hominum honores iteratò promovet. Præfectus spiritûs Primarius Collegij Romani ab Adm. R. Patre Claudio constituitur.

PLena eo tempore erat *Italia & Roma*, ùt modò innueram, Jllustribus doctrinâ & sanctimoniâ Viris, tum *Italis*, tum alibi gentium natis, qui aut negotiorum causâ, aut disputationum habendarum (quæ tum de *gratia*, déque alijs controversis articulis celebrabantur) aut per causam Anni sæcularis, aut postea *Romam* confluxerant, quos inter *Franciscus Soarius*, *Gregorius de Valentia*, aliíque ex Nostris; ex *Religionibus* alijs *Theologi* quàm plurimi. Qui *Romam* stabiles incolebant, *Toletus*, *Baronius*, *Bozius*, aliíque innumeri, à quibus *Roma* mirum in modum illustrabatur. Sed *Bellarminum* suspiciebat maximè *P. Nicolaus*, quem *Rectorem* in *Collegio Romano* A. 1596. habuisse se gloriabatur, cujus plurimas, spiritu divino plenas, exhortationes, & earum argumenta narrabat nobis; eam potissimùm, quâ refellebat, quòd falsò de se spargi audierat, quasi dixisset:

Optare se in Purgatorio igne usque ad diem Judicij torqueri, si modò cœli & vitæ æternæ securitatem haberet; ostendit enim se alterius sensûs esse, & non satìs prudenter & congruenter desiderio perfectionis ferri eos, qui sic sentirent. Redeamus in viam. *Sex Pontifices* Maximos cùm vidisset *P. Nicolaus*, *Clementem VIII.* ob fidei zelum, & ob *Religiosorum* familias ad primævum vigorem, & legum Ordinis sui observantiam, revocatas, ob magnificentiam, authoritatem,& cæteras magnorum *Pontificum* virtutes admirabatur, quo *Pontifice* ad Ecclesiæ clavum sedente, felicissima sive sanctimoniam, sive doctrinam, sive ipsius *Pontificis* sapientiam spectares, *Romanis* affulsisse tempora, existimabat, neque antè, neque diu post tantum *Doctorem*, & *Sanctorum Virorum* numerum in unum quasi temporis articulum, coactum fuisse sentiebat. Jam & domestica nostrorum eo tempore vita, accessu tantorum à *Gallia* & *Hispania* &c. Virorum, summam adferebat *P. Nicolao* voluptatem. *Concordia prorsus fraterna vigebat, Religiosa omnium virtutum observantia* (verbis illius utar) *cœlestem vitam Beatorum adumbrare videbatur*, cujus solâ recordatione, jam senior, ingenti gaudio perfusus, in amore *Societatis*, tot naturæ,& gratiæ donis à DEO ornatæ, mirificè confirmabatur; narrabátque nobis, se tum *Romæ* exclamâsse sæpius: *O quàm bene nobis erit in Regno cœlesti*,

Do-

Domine DEUS noster, si tam bene erat in habitatione Sanctorum terrestri! imitatus in hoc fortassè *S. Fulgentium Episcopum Ruspensem*, qui *Romam* adveniens, cùm *Senatum Romanum* quasi ex totidem *Regibus* compositum, & in medio eorum *Theodoricum Regem*, triumphantis habitu sedentem aspiceret, *Romam terrestre cœlum, Cœlum ipsum Romam cœlestem appellavit. Memini* (verba *P. Nicolai* recito ex opusc. 13.) *me toto tempore studiorum meorum, dum in Collegio Romano manerem, Rhetoricæq; & Philosophiæ, ac Theologiæ operam darem, quotidie solitum non minorem devotionis affectum, & spiritûs fervorem tempore recreationis quotidianæ, præsertim hebdomadariæ in Vinea S. Balbinæ sentire, quàm sentirem in devota communione, & tempore ferventis Meditationis, ita pia de rebus pijs colloquia, cum mihi æqualibus Fratribus instituta, accendebant cor meum.* hæc *P. Nicolaus*. Hoc primo suæ commorationis *Romanæ* tempore *P. Nicolaus*, qui ad Sanctorum Virorum, & qui cum virtute vixissent, imitationem plurimos accendere cupiebat, félici inventione est usus: nam cùm familiarissimè eum, qui à secretis *Congregationi Rituum*, ùt vocant, novisset, implorata etiam nonnullorum *Cardinalium* ope perfecit, ut quidam processus, *pro Canonizatione* facti, communicarentur, quos ille in compendium sigillatim referens, summam quandam vitæ singulorum conscribebat,

atque eo modo absolutis, quæ concessa erant scriptis, & cum gratijs restitutis, nova alia concedi sibi exorabat, & suo labore, & amicorum operâ in formam relationis alicujus contrahebat; quem laborem utilissimum legentibus, & ipsis, quorum acta referebantur, gloriosum, his primis annis cœptum, in suo post Annum 1616. *Romam* iterato adventu, continuavit, & additis novis Virorum sanctimoniâ Jllustrium nominibus, qui ad usque Annum 1640, vixerant, & ex diversis *Provincijs* petitis vehementer auxit, & locupletavit. Vidi ego apud optimum Senem vitas ejusmodi quàm plurimas, & nisi fallit memoria, tricenis non pauciores; quarum lectione mirum in modum *Religiosi* omnis ætatis, ad imitationem tantarum virtutum, quæ ibi legebantur, incitabantur. Vidi summarium Vitæ *Mancinelli*, *Realini*, *Ludovici de Ponte*, *Marinæ de Escobar*, in qua etiam reperiebantur Exhortationes Sanctorum *Fundatorum*, ad eam habitæ cœlesti eloquentiâ, & luminibus divinis refertissimæ, *Colnagi*, *Didaci Martinez*, *Martini de Roa*, *Caroli à Lotharingia*, *Petri Cottoni*, *Philippi Nerij*, qui nondum Cœlitibus publicâ authoritate adscriptus erat; denique aliorum omnium, pro quorum Canonismo processus sunt instituti, & *compulsoriales*, ùt vocant, literæ, aliáque documenta, & instrumenta *Romam* apportata. Iisdem temporibus, narrat primus vitæ *P. Nicolai* Scriptor,

ptor, miros ad eum accessus pœnitentiæ, & absolutionis gratiâ fuisse, miras animorum ad vitam meliorem conversiones secutas, quasdam etiam species Prophetiæ & miraculorum referri; sed hæc cùm generatim referantur, silentio necessariò prætereo. Omnia superat sapientissimi viri, nostræ *Societatis Præpositi Generalis*, *Claudij Aquavivæ* judicium, non verbis, sed rebus ipsis contestatum, qui cùm videret *P. Nicolaum* ipsis primis Sacerdotij sui annis, tantos fructus in *Vinea Domini* colligere, & *Episcopos*, *Prælatos*, *Abbates*, & ex *Nobilitate Romana* primos certatim spiritualis consilij petendi causâ, ad Patrem accurrere, & sive in domo *Professorum*, sive in *Collegio Romano*, vel *Anglicano*, vel *Germanico* degeret, magnis precibus postulare, ut ab eo Spiritualibus *S. P.* nostri *Ignatij* exercitijs excolerentur, cùm hæc, inquam, *Patri Claudio* satìs constarent, *P. Nicolaum*, quinto Sacerdotij anno, petente & impetrante *P. Mutio Vitellesco* id temporis *Provinciali Romano*, ad *Collegium Romanum*, quod tum viris ex omni natione præstantissimis refertissimum erat, ut in eo *Præfecti spiritûs*, & *domesticorum Confessarij* munus ageret, misit: cùm prudentiam cœlestem, integritatem, & dexteritatem viri perspectam haberet, præterea *Adm. R. P. Claudius*, ùt ipse ad summum *Magistratum Societatis* sat citò ascendisset, ità etiam in promovendis ad officia Societatis, non an-

nos expectare ſoleret, ſed aptitudinem præſentem intueretur.

CAPUT X.

Qua viâ potiſſimùm ad perfectionem Religioſam contenderit P. Nicolaus, & quod fundamentum ſpiritualis & ſanctæ vitæ jecerit. Viſio ejus mirabilis & optatiſſima de æterna & felici prædeſtinatione.

IAm inde, à primo *Cracovienſi & Romano* Societatis tirocinio, ardentiſſimum perfectionis, & virtutum omnium deſiderium in ſe ſentiebat *Nicolaus*, quæ fames & ſitis juſtitiæ indies creſcebat, circumſpiciebátq; modos, & viam, qua votis ſuis potiretur, & DEO quàm maximè placeret, & gratioſus evaderet. Cùm in eo eſſet DEUS, cui fames & ſitis juſtitiæ placet maximè, eóſque, qui ſic affecti ſunt, juſtitiâ ſaturandos & beatos fore promiſit, & per ſe interno quodam afflatu, & per *Magiſtros ſpirituales* (nam etiam Sanctitas docetur, & multò magìs quàm aliæ ſcientiæ Informatoribus eget) *Nicolao* inſinuavit: obtenturum quod peteret, ſi, ùt eſt in ſacris literis, coram ſe in corde perfecto continenter ambularet. Eam viam tenendam ſibi ſtatuit *Nicolaus*, ac primùm quidem memoriam DEI circumferre, & in conſpectu ejus

ejus aſſiduò ſtare conabatur. At, quia id ſinè fatigatione capitis ægrè fieri poterat, cùm is conatus internas animi facultates ſæpiùs oblædat, longè altiorem viam inivit, ut voluntatis actibus potiùs quàm ſterili tantùm memoriâ in DEUM ferretur. Conſtat enim omnibus expertis, voluntatis affectus longè faciliùs, & ſvaviùs elici, & dulciùs ijſdem animos occupari, præcipuè cùm voluntas noſtra cæca omninò non ſit, ſed præſupponat eum, quem amamus, exiſtere, & coram eſſe. Clariùs id explicuit ipſe *P. Nicolaus* in opuſculo 11. ſuo, de *Præſentia DEI.* Primò igitur omnium majores, & primæ notæ actiones ſuas, externas & internas ad *Divinam Gloriam* referebat; ubi id proceſſerat, paulatim ſibi conſvetudinem fecit, etiam minores actiones offerendi; quod paucis hebdomadis aſſecutus eſt; tandem etiam Divinâ gratiâ, quæ prævenire conatus noſtros, comitari, & ſubſequi ſolet, cooperante, omnes *Divinæ Majeſtati* offerebat, eóque ſemper altiùs aſcendendo progreſſus eſt, ut ferè toto die DEUM haberet præ oculis, opera, verba, & cogitationes, & quidquid agebat, offerendo, ut vix punctum temporis toto die nominari poſſet, quo DEI non meminiſſet. Scio me novi aliquid, & miri dicere, quod inexperti vix credant, ſed gratia DEI cum humano conatu mira operatur, & quod impoſſibile apud homines creditur, poſſibile eſt apud DEUM. Quis, niſi in

Sanctorum vitis bene versatus, credat *Gregorium Lopez*, Virum Sanctum, cum DEI auxilio singulari (ùt in ejus vita duplici legitur) per integrum triennium, cùm vigilaret, ad singulas respirationes hæc verba iterâsse: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Amen, JESUS*; quæ etiam evigilans noctu proferebat, & dum comederet, & biberet, & loqueretur mente repetebat. De *P. Nicolao* nostro, magnus vitæ Spiritualis Magister, & *P. Nicolao* familiarissimus (cujus verbis potiùs quàm meis in re tanta, & tam insolita uti volo) *Daniel Pavlovsky* (in die prima exercitiorum spirit.) testatur his ipsis verbis: *Urget nos Regula Summarij 7. in qua jubemur, omnes rectam intentionem habere, circa res omnes particulares. Excelluit in hoc P. Nicolaus Lancicius, famâ Sanctitatis clarus, qui dono DEI eò devenerat, ut singulos passus incedens, & singulas literas scribens, actuali intentione offerret DEO, dicens mente: propter te; idémque alijs faciendum suaderet*. Hucusque *R. P. Daniel*; quod addit: *Authorem alijs fuisse faciendi*, id ego, meíque in Humanioribus Condiscipuli sanctè confirmare possumus; nos, qui *P. Lancicij* operâ in sacris Confessionibus utebamur, Adolescentes adhuc in *Syntaxi* & *Poësi* edoctos à *P. Nicolao*, etiam in cursu puerili, cùm soli luderemus, & per amœna pratorum decurreremus, exclamare solitos *propter te*. At *P. Nicolaus* postquam eam sibi consvetudinem fe-

fecisset, ut ad singulas & particulares actiones *propter te*, ingeminaret, eundem affectum excolere, & perfectiorem reddere, & quasi perpolire studiosissimè procuravit. Inprimis non contentus *propter te* ad singulas actiones tacitè repetere, non nunquam addebat: *propter te summè dilectum*; interdum repetebat: *ad amantissimum cor DEI recreandum*; aliàs, dum tempus suppeteret, alijs supernaturalibus motivis utebatur, v. g. *Domine volo hoc facere purè propter te super omnia quàm perfectissimè dilectum, & propter omnia alia supernaturalia motiva omnium virtutum, propter quæ hoc opus tibi offerri potest*; alias quoque actiones diversis & diversis quasi coloribus initiabat, non modò divini gustûs augendi desiderio (quod motivum usitatissimum fuit) sed etiam intentione imitandi *Christi Domini* actiones, in *Passionis* ejus memoriam, & alia, quæ in prædicto opusculo expressit, varietatis gratiâ adhibebat. Sæpe etiam in longioribus actionibus ipsas rei circumstantias exprimebat, & DEO offerebat, exempli gratiâ, dum lectulo consurgeret, & DEO offerret, simul offerebat voluntatem honestè decentérque egrediendi; dum cibo vires ad DEI gloriam reficeret, offerebat unà voluntatem sobriè, mundè, & temperanter vescendi, idémque de alijs sit judicium. Imò eò etiam processit, ut omissiones non modò rerum, quæ DEO non placent, sed etiam earum,

 quæ

quæ minùs perfectæ videntur, DEO offerret, & ejusmodi rerum licitarum, quas semper vitaturum se statuerat, indiculum confecit, quas in occasione omitteret, & omissionem illam offerret. Postquam *P. Nicolai* mens ipsâ consvetudine, & habitu à DEI memoria separari non poterat, facilitas erat viro quosvis actus supernaturales continenter eliciendi, eosdémque Divinæ Majestati præsentandi. Hoc exercitio assecutus est, *primò*: ut in omni necessitate, dum illa occurreret, statim Divinæ Majestatis auxilium imploraret. *Secundò*: ut in rebus dubijs & incertis consilium ex cœlo peteret. *Tertiò*: ut, quàm sciret perfectissimè, opera sua perageret, utpote in Divinitatis conspectu consistere se scienter advertens. *Quartò*: ut peccatum omne faciliùs declinaret; fieri enim vix potest, ut dum amore ardentissimo in DEUM ferimur, mox altero quasi temporis momento eundem offendere velimus, ideóque cadit illa admiratio de voto, quod in *Sanctorum* vita sæpe legimus: *neque venialiter deliberatè peccandi*, quo etiam voto obstrinxerat se *P. Nicolaus*, ùt posteà legemus. *Quintò*: hac agendi ratione consequebatur, ut semper paratissimum ad divinas gratias recipiendas cor haberet, & in negotijs occurrentibus lumen quoddam cœlèste, quo illustratus adjuncta rerum & circumstantias videret, uno propè momento sibi oblatas. Ut enim si conclave aliquod

quod tenebris horridum, in quo parùm vel nihil videre licet, ſubitò vel per rimulam radius Solis penetret, tenebræ omnes evaneſcunt, & quæ per malignam quandam lucem horrida & terribilia videbantur, vertuntur in riſum, omnéſque loci partes patére, & ſe ultrò offerre incipiunt; ità perinde anima, divinâ luce illuſtrata, quæ alijs, ſibíque antè aut formidanda, aut incerta videbantur, contemnit, ultróque, quòd nihil timenda ſint, videt, eóque magìs, quòd vel particula divinæ lucis uno illapſu propè innumera diſſolvat, doceat, & clariſſima ex obſcuris & incertis reddat. Hoc fundamentum virtutum omnium *Venerabilis Pater Nicolaus* prælocavit, & ex conſortio DEI humilitatem, tam erga DEUM, quem ùt *Authorem* omnis boni adorabat, & ſe velut infima creatura, coram ſuo *Creatore* humiliabat; quàm erga proximum, ex *Chriſti Domini* monito (*cùm omnia feceritis, dicite, quia ſervi inutiles ſumus*) diſcebat; hinc etiam charitate in proximos exæſtuabat quodammodo, ùt ſæpe notavimus. Fieri enim non poteſt, ut mens divino amore occupata, DEI filios, & ejus amicos, quos Chriſtus ſangvine redemit, oderit, aut amore ſuo dignos non putet. *Sextò*: ut per hanc continuam DEI præſentiam, non modò quod eſſet perfectius, & ad DEI gloriam majorem promovendam aptius, eligeret, ſed cùm perſvaſum haberet nutus omnes Majorum, nutus

nutus esse DEI, primus omnium ad vocem illorũ, & ad campanæ signum accurreret, & ad eorum jussa exhaurienda semper paratus inveniretur; sed hæc latiùs in virtutibus, quæ mihi in libro secundo utramque paginam facient. Alter *Cardo* spiritualis & cœlestis vitæ, quem maximè *Vener. P. Nicolaus* actionibus suis velut *Lydium* lapidem adhibebat, aut *Cynosuram* quandam, ad quam cursum dirigeret, fuit, quod tum maximè commendabant *spiritûs Magistri*, & terrestris *Angelus B. Aloysius*, ùt in ejus vita legere est, frequenter habebat in ore, *rationes æternas spectare, & ad eas omnes vitæ suæ rationes referre nos oportere.* Primum illud scilicet DEI præsentia, cui semper inhærebat, ejus actiones pretiosas, & DEO gratas reddebat; hoc alterum in rebus, ut ità dicam, agibilibus, quid potissimùm ageret, quid contrà omitteret, docebat, efficiebátque, ut nihil unquam humanum divinis rationibus anteferret, nullo humano respectu, si æterna obstarent, moveretur; nullo metu, nullo amore, nullâ spe, cupiditate nulla quidpiam aggrederetur. Sed ego malo ex ipsius sensu & verbis rationes æternas explicare, & quomodo eas ad vitæ suæ actiones, velut regulam applicuerit, ostendere. *Rationes æternas, juxta quas in omnibus actionibus procedere debes, tuis quoque inculca, commenda, & sic explica: I. Ut omnia & singula opera faciant propter ipsum DEUM, ùt summum*

&

& absolutum bonum in se, sinè ullo respectu etiam secundario, quamvis alioquin bono, & licito, & meritorio, minùs tamen perfecto, utilitatis & præmij supernaturalis: quia amor benevolentiæ est DEO magis acceptus, quàm amor concupiscentiæ supernaturalis. II. In illis rebus occuperis (cæteris paribus) quæ naturâ suâ sunt magis DEO grata, & magis conformes rationibus æternis, hoc est, quæ magis accedunt ad res spirituales, & divinas, magisque recedunt ab humanis consolationibus etiam licitis. III. Omnia, quæ partem inferiorem in hac vita affligunt, potiùs opta, & elige, & retine, propter rationes æternas, id est, propter DEI gustum, & complacentiam, ejúsque honorem & amorem: quàm eas, quæ placent parti inferiori; uti sunt favores humani, laudes, promotiones ad res speciosas, commoditates in victu, vestitu, habitatione, recreationes titulo sanitatis, & humanitatis, & vitæ conservandæ palliatæ, conversationes cum Magnatibus, & his similia, quæ terrenas rationes oblectant & comitantur. IV. Ita interiùs sis dispositus, nè te rebus hujus vitæ, & bonis immergas, & nè mens sit avulsa à frequenti memoria & gustu rationum æternarum. Tantùm ergo commodes te rebus hujus vitæ & bonis, non dedices, & dones: sed DEO immediatè, & rationum æternarum cogitationi, reminiscentiæ, amori, & cuidam terrenæ functioni te tradas propter DEUM; eo modo prorsus, quo solent homines in aliena

na

na domo officij causâ manentes, vel peregrè euntes, bene quidem & diligenter attendere occupationibus suis: mentem tamen, seu memoriam, affectum, desideria, habere domi suæ, & in Patria sua; quandoquidem, ùt ait Apostolus, dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, & conversatio nostra in Cœlis esse debet, & uti debemus hoc mundo, quasi non uteremur, ùt idem monet. Atque ex hoc quarto modo sectandi rationes æternas proveniet, inter alia bona, vita verè spiritualis, à peccatis abhorrens, omnia faciens accuratè, mortem nec detrectans, nec metuens, conscientiam habens pacatissimam, accensa erga DEUM, & res divinas desideria, & alios affectus pios fovens, fervens in Domini obsequio, mundana omnia contemnens & fastidiens, DEO unita arctissimè, & quodammodo in DEUM transfusa per cogitationum, & affectuum unionem, & per vitæ ac actionum omnium ejus voluntati ac perfectionum conformium similitudinem, & quandam earum per participatam DEI & Christi imitationem, Deificationem. Unde sequitur, ut quilibet ità ex DEI beneficio vivens, possit cum Apostolo, humillimè DEI in se gratiam agnoscendo, dicere: vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. V. Sectaberis rationes æternas, conformando te exactè divinæ voluntati, circa ea bona, quæ quidem optas, sed DEUS aliter disponendo ostendit, ea se non velle eo modo, quo tu optabas. Ideo in negotijs pro DEI gloria susceptis,

eo successu sis contentus, non quem velles, sed quem DEUS dabit, post tuam omnem diligentiam. Similiter eâ vitæ longitudine contentus sis, quam DEUS dabit, etiamsi daret non tam longam, uti velles, sed ad plura mala toleranda, & ad majora merita & bona propter majorem DEI gloriam & amorem cumulanda. VI. Rationes æternas servabis conformando te voluntati tuorum Superiorum omnium, quandoquidem ex præscripto S. Fundatoris nostri, Superiores habere debemus, tanquam interpretes divinæ voluntatis 7.p. Const. c. 2. A. in Declar. per quos regimur à Divina Providentia 6.p. c.1. N.1. C. qui Christi Domini nostri vices gerunt. 5.p. c.4. N.5. & loco Divinæ Majestatis nobis præsunt 7.p. c. 1. A. Ideôque in eis JESUM Christum considerare, ac revereri debemus. 6.p.5. 2. eísque obedientiam Christi locò præstare. 4.p. c. 4. 5. 3. & considerare, & perpendere vocem à Superiore egressam, acsi à Christo Domino nostro egrederetur ex C. 4. S. 23. Atque ita quidquid facies, ex directione, & præscripto Superiorum facies, judiciáque eorum & voluntatem, ac ordinationes sequeris. VII. Rationes æternas sectaberis, ita faciendo omnia bona, ac tolerando mala, ut contentus sis, nullum prorsus pro illis unquam præmium referre, dummodo per ea glorificetur DEUS, & gustum suum habeat; quia talis gustus & complacentia DEI de bonis factis per nos, & malis toleratis propter illum, fuit in DEO ab æterno;

actua-

actuale autem præmium, quod DEUS dat post mortem, non fuit ab æterno in actu exercito, ùt in possessione nostra, sed tunc inchoabitur, cùm cœperimus videre DEUM facie ad faciem, per lumen gloriæ intellectui infundendum à Domino. Hucusque *Ven. P. Lancicij* verba ex secreto ejus libello excerpta. Dum sic præsentiâ DEI, & amore, continenter occupatur, & negotia vitæ omnia ad æternas rationes dirigit *Nicolaus*, DEUS, qui consolatur humiles, promulsidem quandam, & prægustum æternæ felicitatis, & voluptatis præbere servo suo visus est, & quod paucissimis præstiterat, promisit, permisítque nomen suum in libro vitæ inscriptum, ut legeret, séque Beatis illis cœli Civibus adscribendum certissimè sciret. ùt *libro 3.* narrabitur.

CAPUT XI.

Venerabilis P. Nicolaus Româ in Provinciam remittitur. Diversa SS. Martyrum corpora Româ abiens impetrat, eáque per templa Collegiorum in varijs Provincijs, ad cultum, & venerationem distribuit. Plurimas persecutiones mirabiliter oblatas fortissimè tolerat; adducuntur quædam earum causæ.

JAm quatuordecim annis continenter Romæ exactis, ab anno scilicet 1592. usque ad 1606. & la-

& labore Historiæ *Societatis* colligendæ finito, ipsóque *P. Nicolao Orlandino*, quem in eo labore adjuverat, defuncto, visum est Majoribus, *P. Lancicium* Patriæ reddere, in qua propè ignotus jam erat, utpote admodum Juvenis egressus è Patria, præcipuè quòd eum *Adm. R. P. Claudius* sibi à virtute, prudentia, & sanctimonia vitæ cognitum,& probatum, majoribus munijs & regendis *Collegiis* aptissimum tacitè designaret. Pater, ubi voluntas *Majorum* innotuit, ùt erat in cultu Divorum promovendo ardentissimus, rem novam, & quam nemo desperatione victus tentare ausus esset, aggressus est: DEI imprimis auxilio invocato, amicorum, quos in Urbe plurimos habebat,ope, communicato cum Superioribus consilio, à *Summo Pontifice* ex *S.Callisti* cœmeterio nonnulla *SS.Martyrum* corpora, qui *Romæ* sinè particulari cultu ob multitudinem suam in Catacumbis jacerent, qui in *Provincijs* Septemtrionalibus, ob talium rerum penuriam, honores, & venerationem maximam invenirent, exoravit. Laudavit consilium *Patris Nicolai* universalis *Ecclesiæ Pater*, & non duo, triáve, sed non parùm multa Sanctorum corpora eruenda, & evehenda concessit, amplissimísque literis, Patrem permunivit, ut & accessus locorum sacrorum pateret, nemine contraire auso; & cùm is labor subterraneus ex sententia processisset, *Apostolicis* literis veritatem corporum SS. confirma-

E vit.

vit. Qua ex re ſatìs patuit, quantum Viro *Romæ* tribueret, cùm homini extero, ætatis mediæ, quæ authoritati comparandæ parùm habilis eſt, tam pretioſum theſaurum ad primas preces conceſſerit, ſinè dubio notæ jam virtuti tribuens, quod deeſſe videbatur ætati. Diſtributa hæc ſacra corpora prævio *Epiſcoporum* de veritate reliquiarum examine, & per diverſas *Regni Poloniæ*, & magni *Ducatus Lithvaniæ*, poſtmodùm etiam per *Regni Bohemiæ Provincias*, publicis *Populorum* ſupplicationibus honoratæ, & ingenti pompâ imaginibus & nominibus Sanctorum ferè ſingulorum magno numero expreſſis ſuper aras templorum pretioſis thecis, argento & gemmis lucentibus arculis, ſtatuis plerumque ex argento ſuperſtantibus conditæ, hodiéque ſummo Populi ad eas affluxu, cùm anniverſaria alicujus dies recurrit, coluntur, multíſque miraculis, & beneficijs in cœlo ſe vivere, manifeſtant, ùt ex *Annuis Collegiorum* ſatìs intelligitur. Sed de his plura ſparſim adferentur. Alio quoque viatico obarmavit ſe *P. Nicolaus* ad ſanctitatem, & virtutum exempla, quibus ſocios ad imitationem inflammaret. Vitas ſcilicet, ùt jam antè dixi, Sanctorum, vel etiam piorum hominum ſigillatim deſcriptas, tum etiam ex *Archivo Societatis*, quidquid ad imitationem valeret, colligens, & deſcribens, ex quibus deinde in opuſculis ſuis conſcribendis multùm ſe adjutum ſenſit, & mul-
tam

tam *Societatis* nostræ notitiam, & æstimationem in *Provincijs* comparavit. Antequam verò *Romæ* valediceret, divinâ sinè dubio inspiratione, quâ plerumque DEI fideles servi ad aliquid à DEO petendum ultrò incitantur, juxta illud *D. Augustini*: (*doce quid petamus, & da quod petimus*) vehementiùs impelli se sensit, ut imitatione *Sanctorum Martyrum*, quorum corpora tanto numero postea Româ extulit, & pro eorum honore satagebat, Divina Majestas eum *Martyribus* similem, adversis plurimis perferendis, efficeret, útque sibi dura patiendi nunquam deesset materia, crescerétque perpetuò in corde suo amor crucis. Et impetrâsse visus est bonus Pater interventu *SS. Martyrum*, quod petebat tantopere, nam ex eo tempore tantis jactatus est adversis (ùt in virtutibus L. 2. ostendetur clariùs) ut semper in reliqua vita usque ad decrepitam ætatem, quâ, etiam inimici fatigati desinunt, haberet liberalissimam patiendi, & sufficientem materiam. Vix *Româ Cracoviam* intulerat pedem, visitatis amicis, quos sibi *Romæ* notos invenerat, & munuscula quædam *Sacra Romana* pro more obtulerat, jam interpretati quidam eum externorum favorem & gratiam aucupari, & in *Aula* mansionem his munusculis captare, subitò pro potestate, conducto clàm aurigâ, prohibito etiam, nè *P. Nicolao* de faciendo itinere quidquam indicaret, uno temporis articulo præter o-

mnem ſpem currum conſcendere jubent. Tulit inopinatum imperium æquiſſimo & læto animo conſcia ſui virtus, tantúmque ab affectatione Aulæ, & familiaritate Aularum & Magnatum remota, quantum alij gratiam hominum venari, aut aucupari ſolent. Vix ſemel ad viſitandos amicos *Cracoviæ* prodierat, imò ſæpiùs invitatus à Sereniſſimo *Principe*, & *Epiſcopo Cracovienſi Alberto*, neſcio quæ alia cauſatus, ſalutationis officium differebat; tamen ab ijs, qui in deteriorem partem aliena facta detorquere, & cogitationes etiam aliorum interpretari nihil penſi habent, pro affectatore Aularum, & cupido humanæ gratiæ habebatur; qui tamen humana omnia præ divina gratia velut lutum ducebat. Et verò vix *Warſaviam*, quò mittebatur, attigerat, cùm ecce alterum imperium! *Vice-Provincialis Litvaniæ R. P. Boxa*, *Vilnam* abire jubet, & *Præfectum ſpiritûs* agere. Non diu geſſiſſe hoc munus *P. Nicolaum*, oſtendunt tractatus Scholaſtici, quos *Vilnæ* An. 1607. & iterum An. 1608. elucubravit, & publicè dictavit Diſcipulis, qui etiamnum in *Bohemia* in cujuſdam *Collegij Soc. JESU Archivo* ſervantur. Certè An. 1609. in Academia Vilnenſi Inſtitutiones Hebrææ lingvæ explicandas ſuſcepiſſe Præfatio ad Academicos 4. Maij habita, quæ inter manus meas eſt, oſtendit. Non ſat diviſam temporibus horum annorum Hiſtoriam nactus ſum, neque eam ordi-

nare

nare mihi licuit, quòd à *Litvania* procul absim, quæ à Cursoribus publicis ferè non aditur, ut consulere Patres nostros, qui istiusmodi officiorū Catalogos pro *Societatis nostræ* more descriptos habere in Tabularijs *Collegiorum* solent, nequiverim; adeò nec scire unquam potui quandónam *SS. Martyrum* corpora, an omnia simul post primā, an post secundam suam *Romæ* commorationem quædam, & à quo Pontifice, & an à pluribus *P. Nicolaus* impetrârit? *Urbanum VIII.* alij, alij *Paulum V.*, alij utrumque, quod probabilius est, nominant, qui hoc verè Regio dono Sanctorum gloriam in tam remotis à Roma Provincijs propagare voluerint. Sed de laboribus & munijs *P. Nicolai*, quod cæperam dicere; certissimum est aliquot Annos in Scholarum erudito pulvere contrivisse: *Joannes Chondzynsky* in præfatione sua ad XVII. opusculum *de præstantia Instituti Soc. Jesu, R. P. Nicolaum Lancicium in Alma Academia Vilnensi sacrarum literarum, & Theologiæ, ac sanctæ linguæ Professorem, demum post variorum Collegiorum gubernationem Provinciæ Litvaniæ Præpositum Provincialem, Virum omnibus Regni Ordinibus in Polona Republica charissimum* appellat, idémque disertè tradit *R. P. Nathanaël Sotvvellus* in Catalogo scriptorum *Societatis*, verbo: *Nicolaus Lancicius.* Invenio hoc tempore *Ven. P. Nicolaum* cum Hæreticorum *Ministellis* negotium habuisse, eósque ad dis-

diſputandum provocâſſe An. 1615., fuerúntque inter manus meas *Concluſiones Theologicæ* Miniſtris Minoris *Poloniæ* ad oppugnandum propoſitæ, quas gloriosè in *Collegio Lublinenſi Soc. Jeſu* in maximo hominum Cœtu *P. Nicolaus* defendit, & omnium Sapientum Judicio victos 9. & 10. Auguſti coëgit diſcedere; Theſes ipſæ typis expreſſæ ſunt *Leopoli. Jam ad cruces & afflictiones, quas per SS. Martyrum interceſſionem impetráſſe ſibi nuper diximus, veniamus* (eas alibi enumerabimus) Quæ tanto numero, quaſi tempeſtate, in virum optimum irruebant, ut in multis admiratio excitaretur. Ejus rei cauſas, qui *P. Nicolai* lateri multis annis adſtiti, & S. Virum utcunque novi, pernoſcere omni diligentiâ & ſtudio conatus ſum. Quas poſtea in libro 2. capite de crucis amore diligentiùs perſequar; ſed potiſſima cauſa in DEI amorem erga Virum referenda videtur, qui ſervum ſuum ſibi approbare, eíque meritorum magnorum materiam ſubminiſtrare volebat, præcipuè cùm Pater crucibus ſatiari non poſſet, & quò plura pateretur, inexhauſtâ ſiti (ùt ex libellis ejus precatorijs ſatìs intelligitur) plura & plura adverſa ſibi immiti deſideraret quotidie, ardentiſſimo affectu efflagitans. Quæ quidem adverſa licèt animæ ſuperior pars libentiſſimè, & cum gaudio ſuſciperet, inferior tamen, & animalis excruciabatur, maximè ſi cum divina offenſa conjungerentur. Deinde ani-

animadverti ſæpiùs *Ven. Patrem* divina pati ſolitum, & toto vultu inflammato, maximè cùm futura prædiceret (quod factum ſæpiſſime) extra ſe quodam modo rapi, ut propè ipſemet, quid dixiſſet, neſcierit; quod cùm accideret, ignari cœleſtis vitæ, & qui Sanctorum mores minimè callebant, jactantiam interpretabantur, & in ſiniſtrum ſenſum verba detorquebant; at bonus Pater, DEO plenus, quò divini ſpiritûs impetus impellebat, dicere cogebatur. Ipſe quoque *Ven. Pater* ſiniſtra aliorum de ſe judicia & contemptum ſtudiosè quærebat, ídque aſſecutus tacitò in ſinu gaudebat: noverat *S. Philippum Nerium* de facie, quem Heroëm magnum inter Sanctos nominabat; audîerat ſæpiùs illum vel in foro Romano, vel in templo quædam ad ſui contemptum agentem; legerat, imò etiam conſcripſerat *Romæ*, hujus Sancti vitam, & admiranda illius geſta, artéſque pias, quibus ille virtutes obtegebat ſuas, & imitandi ejus ſtudio accenſus conſtituit, quidquid abs ſe laudabiliter, & cum virtute geſtum eſſet aliqua ratione ab imperitis illaudabile, & quod minùs alijs probaretur, reddere; hoc ſui obtegendi ſtudium maximarum adverſitatum *P. Nicolao* cauſam præbuit. Vidi ego, quoties Pater præclarum aliquid ad DEI gloriam feciſſet, aut dixiſſet, mox aut riſu, aut geſtu, aut verbo aliquo, quod ad rem non videretur, corrumpentem, ut etiam familiariſſimos

homines falleret, & in suspicionem adduceret quæsitæ alicujus gloriolæ, aut vanitatis. Eandem ob causam, ut appetentior cibi & potûs videretur, vina quædam coram alijs laudabat; cibos meliores eligere, & præferre vilioribus audiebatur, cùm interea in occulta cogitatione nihil minus quæreret, & jejunijs suis mensas consecraret. Audivi, cùm non contentus suo demenso cucumeres (vilissimum apud nos cibi genus) ab alijs sibi mitti peteret ex mensa vicinorum, & fictâ aviditate ingentem eorum numerum absumeret, mirè exhilaratus, quòd in posterum Ministri Mensarum cucumeres ad eum ultrò deferrent, eum hoc cibi genere vehementer delectari existimantes; cùm tamen ex hoc cibo vilissimo & inutili senilis *P. Nicolai* stomachus, nîl nisi dolores, & ructus, & pro quiete insomnia reportaret. Accidit aliquando, ut *P. Nicolaus* (cùm jam in *Provinciam Bohemiæ* immigrâsset) cuidam Patri ex Nostris gravissimo, à Sanctimonia vitæ omnibus probato, pauci cibi, & multæ abstinentiæ assideret; ferebantur tum *P. Nicolao* à Ministris Mensarum multiplices cibi, quibus ille lætè & avidè vescebatur, ac plures etiam videbatur postulare, totus simulatione virtutis in epulas effusus; admonuit submissâ voce *P. Nicolaum*, qui assidebat, ùt dixi, parceret valetudini, neque se tot infaciret cibis, addens: in *Religiosa domo omnia hæc observari*. *P. Nicolaus* lætus,

quód

quòd ipſum etiam virum tam gravem in ſiniſtram de ſe opinionem adduxiſſet, riſu modeſto reſpondit : an ignoraret *Pater* pluribus portis, & vijs *Romam* adiri poſſe? quandam etiam *Stratam del popülo*, ſeu popularem appellari. Innuere ſcilicet volebat, non unam eſſe ad Perfectionem & ſanctitatem viam, ſed alium hàc, alium illàc à divino ſpiritu deduci, & varia eſſe cœleſtium chariſmatum dona. Quod reſponſum poſtea, multas, inter ſpirituales viros, quæſtiones excitavit, ob Authoritatem duorum magnorum virorum alijs non probantibus, alijs laudantibus. Innumera hujuſmodi exempla, ab eo in contemptum ſui, & ad tollendam de ſe vulgi æſtimationem edita poſſent proferri. Jllud etiam non leve ſiniſtræ aut potiùs dubiæ, de ejus virtute opinionis argumentum præbebat, quòd ut plurimùm eos ſibi devinciret, & ad ſe familiariter attraheret, quicunque Religioſæ vitæ parùm obſervantes, in ſuæ vocationis propoſito titubare viderentur; hos ille blandiùs alloquens, ac ſæpe etiam defendens, adjungebat ſibi, atque omnium tentationum ſemina, quæ ultrò manifeſtabant Patri, elidebat, ut quàm plurimos in Religioſa vita ab eo confirmatos, & ſervitio divino ſtabiles redditos meminerimus. Id cùm maximè fieret, & Pater in ijs alloquendis, & ſolandis aſſiduè verſaretur, cúmque illi plerumque à Majoribus voluntate diſſiderent, & quaſi injuriam

paſſi (*diſguſtatos* Barbari vocant) viverent, fiebat, ut ignari *P. Nicolaum* murmuratoribus, & diſſolutioribus ſocijs favere, & Superiorum Authoritatem parvi pendere & elevare exiſtimarent; quod nonnulli etiam Superiores credebant: & paſſim jactabatur, omnem etiam malam cauſam ſubditorum ſuſcipere *P. Nicolaum*, iiſque, qui Superioribus reluctarentur, patrocinari. At eventus contrarium oſtendebat, cùm ij, quos antè ùt immorigeros, legum Religioſarum violatores, & mali exempli viderant, poſtea monitis *P. Nicolai*, ſibi, & cœleſti vitæ redditos, dicto Superiorum audientes viderent. Hæc igitur *P. Nicolaum* ſuſpectum etiam Majoribus faciebant, timebántque paſſim, nè quid per eum diſciplina domeſtica detrimenti pateretur; at ſubditi Religioſi unicum in *P. Nicolao refugium* habebant, ſi quid gravius ferendum fuiſſet, ad eum recurrebant ùt Patrem, conſilia & auxilia cum eo communicabant, quos ille pacatos reddebat, dicebatúrque univerſalis *Collegij Conſolator*. Denique ut ſummam quandam capitis hujus conficiam, mihi in vitam *P. Nicolai* intuenti, & quid unquam adverſi, & qua de cauſa pertulerit cogitanti, nihil mirum videtur; cùm & DEUS, ut ejus merita coronaret, ex amore cruces immitteret, & malus dæmon ex odio quidquid in *Virum* ſanctum poſſet injuriarum, & calumniarum ingereret, & ipſe *Pater* ultrò cruces ſibi accerſeret, &

ho-

homines etiam optimi, ejus mores, quibus imperfectorum vitam aliquando assimulabat, non intelligerent, sed carperent, quidam etiam æmulatione (quòd eum à maximis in utraque Republica viris magni fieri, accursu omnium hominum in consilijs & conscientijs regendis felicissimè medicinam facere viderent) tangerentur, ejúsque conatus sanctos impedirent, nimirum necesse erat eum plurima pati; ac mihi ità videtur *Bernardi Colnagi* Viri sanctimoniâ inclyti, vitam prorsus & ad ungvem exprimere voluisse; legantur ejus gesta nuper typis edita, omnia sibi congruunt, & gemina sunt, & ad idem exemplum, habebúntque *Lectores Religiosi* arma, quibus *Ven. P. Lancicij* actiones, & inde consecutas persecutiones excusent, & defendant.

CAPUT XII.

Præfectus rerum spiritualium constituitur; mira gratia in dirigendis ad vitam sanctam animabus, & suavitas conversationis.

Cùm singulari DEI beneficio donum quoddam cœleste in regendis animabus accepisset, *Vilnæ*, alibíque, postea etiam in *Bohemia* munus ei *Præfecti spiritûs* impositum est, nullúm-

nullúmque diutiùs officium in Societate gessisse puto. Meminêre hujus dexteritatis, & svavissimæ gubernationis senes, si qui adhuc supersunt: ad quandam svavitatem, & facilitatem, non tamen remissam, sed fortem dirigebat omnia, sinè ullo ad homines & humana respectu; disciplinæ Religiosæ, ùt erat severus Exactor, ità vicissim humanæ imbecillitati condescendebat, maximè si quem valetudo tenuis, & affecta excusaret; fomenta impetrabat, solabatur benignissimè, ut non tam Patrem, quàm Matrem agnoscerent, ideóque nullum facilè erat reperire, qui ei Conscientiam suam pandere vereretur, cùm sciret, nihil magìs *P. Nicolaum* cupere, quàm ut suorum errata contegeret, conscientias quietas, & securas redderet, atque ut hilariter DEO famularentur, efficeret. Certè non ij tantùm, qui ei ùt *Patri spirituali* suo subjiciebantur, aut qui eum *Tertiæ Probationis Præfectum* habebant, sed etiam alij, qui in diversis *Collegijs* morabantur, eidem conscientias suas aperire quærebant, & generalem de omni vita apud eum noxarum confessionem instituere pro lucro ducebant. Novi ipse gravissimos in *Provincia Bohemiæ* Patres, qui summam conscientiæ quietem & malaciam consecutos se gloriabantur, quòd apud eum confessionem peregissent, & ejus in spiritu consilijs, & directione uterentur. Eos verò, quos in vita spirituali dirigendos Majorum imperio

rio ſuſceperat, maximè *Tertiæ Probationis Patres*, ità ſuâ humanitate, & prudenti & forti ſvavitate capiebat, ut omnes, quorum deſperata ſalus & perfectio non eſſet, Patri optimo totos ſe darent, & velut ad Matrem accurrerent lubentes. Ipſe omnia, quæ aliàs difficilia habentur, quæſitis licitis modis condiebat, & facilia, & ſvavia reddebat: in exercitijs ſpiritualibus, quæ uno ſolido menſe in contemplatione rerum divinarum, in ſolitudine, & cæteris aſperitatibus peragunt, & conſumunt, curabat ut aliquo die relaxaretur animus, & corpus ipſum recrearetur; quotidie à menſa *Collationes ſpirituales* inſtituebat, argumento aliquo jucundo, & quod placeret, adducto, maximè quòd Senex ingentem rerum notitiam, & peritiam adferret, & dulci utile miſcere tam peritè noviſſet, ut etiam riſu Religioſo narrationes ejus, qui audiebant, proſequerentur. Memini cùm exercitia ſpiritualia ſocijs traderet, hoſte in Patriam ingreſſo, & graſſante, *P. Nicolaum* (qui aliàs rumuſculos, & rerum novarum dubias narrationes minimè captabat, iiſque tribuebat nihil) ſolicitè eo tempore conquiſiviſſe, ut ea à prandio exercitantibus ſuis commemoraret, nè illi curioſitate ducti apud alios, cùm detrimento ſpiritûs, ea conquirerent, atque ut pacatiùs, & ſinè hoſtium timore DEO & divinis rebus vacarent. Exterorum quoque, & quos vocant ſæcularium ſaluti & perfe-
ctioni

ctioni, quantum per occupationes domesticas licebat, impendebat sese *P. Nicolaus*, & præcipuè Adolescentes ad frequentem Confessionem, & Communionem hortabatur, & si ij ad Statum *Religiosum* aspirarent, solicitè adjuvabat Consilijs, (rariùs tamen eorum causam apud Superiores Ordinum agendam suscipiebat, hoc petentibus ipsis relinquens) súntque plurimi, qui ex ejus institutione vitam suam DEO in Religione consecrârunt. *Olomucij* Adolescentes non paucos Christo lucratus est, quos inter me quoque nominare possum, quem quotidie aut horam, aut horæ dimidium cœlestibus colloquijs detinebat, cúmque eo adhuc tempore de *Societate* ineunda nihil cogitarem, & me Societatem non ingressurum sæpe dicerem, ridebat Senex, affirmans: brevì me aliud cantaturum, cùm DEI vocantis vocem auditurus essem, & secuturus; addebat: *literarum studijs te totum trade, & immerge, certò eris Jesuita*! Postquam verò animum ad Societatem ineundam DEI monitu, ut ego interpretari possum, appuli, tum ille: *Jam tu mihi*, inquit, *pro hamo eris*; & Adolescentes nominabat ex ordine, quos ego feliciter, Sene plaudente, ad amorem divinum, ad peccatorum fugam, ad divinos instinctus sequendos invitabam, ac denique sic à me primis elementis bonæ & sanctæ vitæ quasi initiatos ad communem Patrem adducebam; qui deinde omnes Societatem no-

noſtram, alióſque Religionum ordines amplexi, laudatiſſimè vixêre, & obiêre. Data tunc nobis monita & documenta, in primo Tomo operum *Ven. P. Nicolai* leguntur. Idem inſtitutum in *Collegijs* reliquis *Bohemiæ* tenuit, multíſque viam ad ſalutem oſtendit, tantâ ſemper ſvavitate, quamvìs Juvenibus aſpera & difficilia ſvaderentur, ut pro omni voluptate, & recreatione duceremus, ejus colloquijs tam dulcibus intereſſe. Denique ut finem faciam, omne ejus colloquium, & converſatio ſvavitatem & dulcedinem quandam cœleſtem ſapiebat; compatiebatur ex animo, ſi quid nobis adverſi accidiſſet; gratulabatur, ſi quid læti haberemus; conſilia etiam in rebus puerilibus dare non recuſabat, ut tantâ familiaritate invitati omnia panderemus, quæ ſi mala eſſent caſtigabat verbis, & quid faciendum eſſet, ut corrigerentur, inſtruebat. Monebat ſæpe Patres noſtros in *Collegio*, ut in regendis conſcientijs nullâ acerbitate, ſed ſvavitate uterentur, plùs hac viâ profici, quæ *formula Apoſtolica* appellatur; ſubditos *Religionum*, qui ſeſe totos DEO donâſſent, tractandos ùt filios; rigore & ſeveritate averti animos ſubditorum, & invitos parêre; at ſi ſe amari intelligant, viciſſim Majores, & eorum imperia amare, & æſtimare. Hac viâ unum aliquem ex ſocijs, cujus emendationem deſperaverant Superiores, ità ſibi conciliavit, in primo *Rectoratu* ſuo, ità delinivit implo-

rato

rato cœlesti auxilio, ut is agnitâ prioris vitæ dissolutione, seipsum DEO redderet, & petitis ultrò exercitijs spiritualibus, novum hominem indueret, ex legibus Societatis imposterum victurus, cum admiratione *Collegij* totius, in quo sanctæ vitæ proposito perstitit usque ad beatam mortem. Ajebat præterea multos ignorare, quanta vis colloquijs divinis inesset; útque Societate malorum multorum animi corrumpuntur, itá spiritualium Virorum conversatione & familiaritate, multos ad vitam perfectam accendi, háncque esse messem Patrum spiritualium longè optatissimam, cùm animæ capitali hosti eripiuntur, & DEO amatori animarum restituuntur, incredibili totius *Cœlestis Curiæ*, atque imprimis *SS. Angelorum* gaudio, & solatio. Non diffitetur hanc suam in regendis animabus felicitatem dicam, an facilitatem? præfatione Opusculi XVI. quod An. 1637. Giczinij in Bohemia longè ante mortem suam conscripsit: *Per hos*, ait, 37. *annos mei Sacerdotij, perpetuò voluntate Superiorum meorum, in varijs Provincijs, & Regnis fui Director in spiritu bonarum animarum, tam Sæcularium, quàm Religiosarum, ex varijs Ordinibus, ad me partim sponte, partim suorum Superiorum jussu, consilij & auxilij causâ accedentium. In hac occupatione agnovi magna DEI dona concessa illis bonis animabus, in plerisque tamen advertí pauciora eis esse concessa, quàm quæ Divina*

Li-

liberalitas in eas effudisset, si particulari studio attendissent ad vitanda frequentia venialia peccata, præsertim cum plena deliberatione commissa. Ideo commiseratione motus scripsi hoc opusculum &c.

CAPUT XIII.

Quàm mirabiliter & amanter Sanctissima Christi Mater & Virgo P. Nicolaum de SS. reliquijs solicitum & mærentem consolata sit, & omni timore absolverit. Accusatur de spiritu peregrino.

HActenus Superioribus aliquot capitibus per occasionem rerum adversarum, quæ illi obvenerunt, aliqua de ejus moribus percensui, & quid oblocutionibus causam dederit, aperire sum conatus; nunc ad temporum ordinem redeo, & quid *Vilnæ* eidem acciderit, primi vitæ Scriptoris P. Casimiri verbis commemorabo: *Res*, inquit, *contigit memoratu digna: cùm thesaurus sacrarum Reliquiarum à P. Nicolao Româ evectus in Poloniam post eum, qui præcesserat, veheretur, obortúmque inter Pontificem Romanum & Venetos bellum, meritò suspicionem de interceptis sacris Lipsanis excitaret, rem DEO P. Nicolaus per Virginis Matris intercessionem commendare statuit. Est locus in Litvania quatuor milliaribus Vilnâ dis-*

ſitus, Troki dictus, plurimiſque ac perpetuis magnæ Matris beneficijs, ùt & imagine Cœleſtibus illuſtri ornamentis celeberrimus. Hunc viſitaturi Societatis Religioſi P. Adamus Olorius, & Nicolaus Kolozemsky, Theologiæ Auditores, piam peregrinationem ſuſceperant; qua cognitâ, P. Nicolaus literas dedit ad pedes ſanctiſſimos Deiparæ Virginis deponendas, quibus in ſuperandis itinerum periculis auxilium implorabat. Adjecerat petitioni alia ferventis animi deſideria, pro ſe & amicis ſuſcepta; è quorum numero inter prima repoſuit Sanctitatem vitæ eximiam, fructum ingentem animarum, & tranſitum animæ ad Cœlum purgatorijs flammis liberum. P. Olorius rem divinam facturus, in ipſo acceſſu altaris, epiſtolam ante imaginem ſacram depoſuit: cautè omnino multáque circumſpectione, nè decidere in terram, aut ab alio tolli poſſet: dum verò peractâ diviniſſimorum myſteriorum communione illam requirit, adhibitâ omni diligentiá reperire nuſquam poteſt; & remotam, poſtquam nihil à ſe diligentiæ, tum in deponenda, tum in requirenda eſſet omiſſum, miraculo attribuit, ac in ſignum exauditæ P. Nicolai orationis, chartam diviniore manu ſublatam credit. Eodem verò tempore manenti in Collegio P. Nicolao rem, prout evenerat, contigiſſe mens ſubit; & dum cogitabundus hæret, Epiſtola in menſa cubiculi expanſa apparet, reſponſione felici ſubjectâ: quidquid petierat, eventurum. Et quidem, quod attinet ad ſacras Reli-

liquias, paulò pòst integerrimæ advectæ non vanum responsum testari potuerunt; quod autem spectat ad sacra illa vota simul expressa, asserere non vacat, conjectare ex virtutis profectu licet. Patebunt hæc, cùm patuerint reliqua. Eventu intereà rei ab Olorio, ejúsque socio per Collegium Vilnense divulgato, famaque miraculi, & insignis apud Deiparam Nicolai Clientelæ increbrescente, examen grave institutum, nè versutissimus hostis artibus occultis illuderet. Adijt domûs Rector P. Nicolaum, graviúsque monitum fulminatrice sententiâ malè illusum à Satana pronuntiavit. Quoniam tamen experiendi animi causâ hac decreti formulâ usus erat, posteaquam P. Nicolaum minimè commotum vidit, ac insuper humilis animi raram Confessionem audivit (scilicet: quandoquidem Superior judicium tulisset de sui illusione, se quoque omnino idem sentire) amantissimè P. Rector solatus, hanc tesseram humilitatis, certiùs sibi miraculum testari, quàm omna alia signa, affirmavit: quòd cum humilibus non colluderet superbus Angelus, nec posset falli judicium Superiorum, DEO innixum. Hæc *P. Casimirus.* & quidem calumnia illa de illusione sæpiùs magnis Sanctis, ùt *P. Balthasari Alvarez*, & *P. Colnago* &c. objecta, fortissimè ab ijs, utì à *P. Nicolao* tolerata est, qui meminerant Christum Salvatorem nostrum, hoc etiam telo ab improbissima gente petitum: *dæmonium habes*, quibus mitissimè respondit Dominus:

 ego

ego dæmonium non habeo; ut videlicet servi Christi solatium capiant, cùm ejusmodi dictis incessuntur ab hominibus, qui sanctitatem non intelligunt, aut malignis interpretationibus corrumpunt. Aliâ calumniâ sæpiùs *Ven. P. Nicolaus* petitus est, quæ hoc tempore cœpit, & per omnem reliquam vitam ab æmulis jactabatur: *eum spiritu peregrino, & Instituto Societatis non satis conformi abduci, ideóque noxium socijs, & præcipuè Juvenibus nostris cavendum videri*; hoc ego sæpiùs dictum fuisse memini ab ijs, qui facilè aliorum dicta & facta carpebant, pervenítque ea primùm accusatio usque *Romam* ad *P. Claudium Aquavivam*, qui maximus vitæ spiritualis Magister, & verè *Ponderator spirituum* appellandus, cùm omnem *P. Lancicij* vitæ rationem, orandi modum, cum *Nostris* & externis conversationem, monita ab eodem data severo examine ad trutinam rationis, & regularum nostrarum vocâsset, literis consolatorijs *P. Nicolaum* ab omni illa suspicione absolvit, & conformem Instituto vitam ejus pronunciavit, hortatus etiam, ut viam Sanctitatis, quàm cœpisset, teneret. Cúmque iteratò eadem accusatio moveretur, nunquam se flecti passus est, ut aliud quàm quod primùm edixerat, aut sentiret, aut pronuntiaret. Idem post annos complures *P. Mutius Vitellescus*, idem *P. Vincentius Caraffa, ejusdem Societatis Præpositi Generales* auditis accusationibus pronunciârunt,

runt, *P. Nicolai* defenſione ſuſceptâ; atque ut bonum Patrem in ſtudio heroicarum virtutum confirmarent, & animarent, duo poſtremi *Generales* denas Miſſas ex ijs, quæ quot hebdomadis ad intentionem *Præpoſitorum* offerri ſolent, donârunt *P. Nicolao*, eo diſertè adjecto, ut illas ſibi Miſſas deligeret, quas meritiſſimi, Deóque gratiſſimi ex Societate Sacerdotes peragerent, ídque quàm diu *Generales* ipſi viverent, valeret; neque ego ſatis videre poſſum, cur *Ven. P. Nicolaus* de ſpiritu peregrino accuſari potuerit: in DEI conſpectu ſemper ſtabat, & ambulabat; ei ſingulas actiones etiam motus manuum & pedum offerebat; in dubijs omnibus, etiam repentinis, DEUM conſulebat; perfectiora ſemper eligebat, & ſi quæ extraordinaria loquebatur, ea, divino quodam inſtinctu raptus, patiebatur potiùs, quàm agebat; Superioribus candidiſſimè aperiebat omnia, quæ in ſe, & à ſe agebantur, eorum judicio libentiſſimè ſtabat, & in omnibus etiamſi adversùs ſe edicerent, ſubſcribebat; ſeſe infra omnes homines ponebat, plus de ſe alijs, quàm ſibi credebat; Præfectorum ſpiritûs ductum Religioſiſſimè ſequebatur. An *Societatis* ſpititum ignorare poterat, qui primævam noſtrorum Patrum vivendi rationem cognoverat, qui *Archiva Societatis* omnia excuſſerat, qui Hiſtoriam Ordinis noſtri collegerat, qui Reſponſa *Generalium*, juſſu *Adm. R.P. Mutij* unum in volumen com-

portârat, ex quibus, si alia abessent omnia, discere saltèm poterat, quis verus & genuinus Societatis spiritus esset, & quinam ab illo deflecterent, & ad quam formam *Societatis* gubernatio dirigeretur.

CAPUT XIV.

Ven. P. Nicolaus gubernationi externorum & Nostrorum admovetur, & felicissimè Rectoris & Provincialis munus explet.

Duo memorabilia exempla, quibus charitatem P. Nicolai in suos, & observantiam Religiosæ disciplinæ approbavit DEUS.

DIxeram superiùs *Adm. R. P. Claudium Aquavivam* maximam opinionem de prudentia *P. Nicolai*, cæterísque ad regendum ejus dotibus habuisse; itaque postquam ei *Provinciales Poloniæ* utriusque *Seminarij Pontificij*, & *Diœcesani* gubernationem imposuissent, & *P. Nicolaus* summa cum laude munus hoc obijsset, *Romani Patres Rectoratum Collegij Calissiensis*, & hoc expleto, *Cracoviensis*, tandem universam *Provinciam* gubernandam detulerunt, quam quadriennio solido *Provincialis* cum Sociorum & externorum commendatione administravit, ac præcipuè duas virtutes in eo prædicabant omnes: *Incredibilem*

cha-

charitatem in Socios, & accuratissimam disciplinæ Religiosæ observantiam. Constabat inter omnes, quidquid ab eo peteretur, si modò Religiosæ Leges id permitterent, impetraturos; suum illud, & solenne documentum servabat ubique: ut Patres velut filios jam adultos, & familiam ducentes, atque in statu positos; cæteros verò Socios, ùt filios nondum sui Juris factos, quibus adhuc parens hæreditatis portionem non dedisset, tractaret, illos solidiùs, hos teneriùs amaret, & foveret, eámque rationem & modum, quàm diu præfuit, tenuisse visus est. *Paupertatis Religiosæ* studium, etsi ubique & omnibus cordi esse vellet, nihilominus pronior in liberalitatem, naturæ quadam hilaritate & generositate, habebatur, tenacitatem summopere, (quæ se paupertatis amore obtegere solet) oderat, nihil deesse patiebatur suis; quod necessarium, & in Societate usitatum sciebat, suppeditari volebat; Ministris & Procuratoribus solitus dicere; *Non expectandum, dum subjecti peterent, præveniendas esse eorum necessitates; diligenter singulas sociorum personas, congitatione obeundas, & quid huic, quid illi deesset, sagaciter explorandum, ea maximè, quæ frigori arcendo opportuna forent, aut ad alimenta sociorum servirent, suo tempore procuranda.* Sed hæc inutiliter ferè dicuntur à me, cùm *Ideam* boni & amantis suorum Superioris in suis opusculis passim expresserit, maximè verò in opu-

ſculo 12. cui titulum præfixit: *De Conditionibus boni Superioris, neceſſarijs illi, tum ut â ſubditis ametur, & ejus iuſſa libenter exequantur, tum ut ei ſuam conſcientiam ſincerè aperiant, & alia omnia; ac in Religione vel Congregatione cum gaudio ſpiritûs & profectu ſpirituali vivant & perſeverent.* Ad quem tractatum, cùm à me ei nihil addi poſſit, *Lectores* remitto. Hoc unum dicendum eſt, omnia illa documenta, quæ novo *Superiori* in *Litvaniam Giczinio* Anno 1640. miſerat, & quæ C. 19. illius opuſculi leguntur, in ſe expreſſiſſe. Contigit, dum *Provinciam* adminiſtraret, plurimorum Patrum querelas ad ſe deferri, in quodam noſtrorum *Collegio* ſociorum neceſſitatibus non ſatìs paternè ſubveniri, atque in particulari rudiorem pannum in veſtes, telam craſſioris fili pro induſijs præberi infra decus honeſtatis, plura alia de victu indigna referebantur. Contulit ſe illuc *Provincialis*, ut *Collegio* egeſtate laboranti ſuccurreret, ratus non ex Superioris tenacitate, ſed ex *Collegij* paupertate eas ſordes procedere: advocat domeſticarum rerum Curatores, & num ab egeſtate vera, an verò tenacitate ſub paupertatis palliolo tecta, hic rerum omnium defectus procederet, diligenter examinat; reperit indagando, & rationes *Collegij* examinando hujus indigentiæ veram cauſam, animi contractionem, & in diem craſtinum, & annos ſequentes ſollicitudinem eſſe. Protinus igitur ali-
quot

quot centenos florenos ex eleemosynis à se collectis *Collegio* numerari jussit, plaudente universâ sociorum Coronâ, ac nè domûs Superiorem damnâsse videretur, indigentiam prætendit, privatim verò advocatum *Rectorem* monuit, inposterum domui provideret, quæ non muris & tecto, sed optimorum sociorum & DEO servientium, qui *domus Spiritûs Sancti* vocantur, personis constaret; jussit prætereà, syngrapham statim scriberet, quâ testabatur *Rector* se ex *Provinciæ* ærario aliquot centenos florenos mutuos accepisse, in usus necessarios *Collegij* sui, eósque die certâ se exsoluturum promittebat; ità & indigentiæ *Collegij*, & famæ Superioris consuluit. Quam tenacitatem *Provincialis* sagaciter in hoc *Collegio* deprehendit, & proscripsit, eandem *Rector* longè antè in *Collegio* suo expertus est, & singulari DEI benedictione consecutâ emendavit in melius: Anno primo *Rectoratûs* sui, vocatis ad se omnibus ijs, quibus *Collegij* alendi, & necessitatibus ejus providendi incumbebat cura, ordinaverat omnia, quæ singulis mensibus, hebdomadis, diebus subministranda *Collegio* essent, ut sufficienter, honestè, liberalitérque socij haberentur; at nihil minùs factum; quibusdam enim Officialibus *Collegij*, nimia & superflua liberalitas *Rectoris* videbatur. At continuò divina benedictio manum subtraxit: omnes eorum conatus, & curæ infelices plerumque redde-

 ban-

bantur: peribant quasi inter manus necessariæ alendo Collegio pecuniæ, alimenta corrumpebantur, infelicitas in prædijs, agris, aliáque œconomiæ damna ex ordine succedebant; in *Collegio* ipso tristis omnium sociorum facies, quædam etiam murmura audiri jam cœperant. Novus *Rector P. Nicolaus*, cùm rescisset, quid ageretur, statim advocatis rei familiaris Ministris annuas procurationum rationes inspicit, legit cum admiratione æs alienum aliquot millium contractum, expensas majores annis præteritis factas, stupet, & nihilominùs multa *Collegij* commodis subtracta fuisse animadvertit; castigatos ergo verbis acrioribus seriò monet, ut charitate in socios, & liberalitate fontem divinæ misericordiæ, & benedictionis, quem eorum tenacitas obstruxerat, rursus *Collegio* restituant, illa verba repetens: *Date, & dabitur vobis! excessus vitetur, cæterùm omnia ad sufficientiam fratribus subministrentur!* quod dixerat, factum: cum officijs charitatis divina benedictio redijt, inventi liberalissimi in *Collegium* homines, omnia feliciter in œconomia procedebant, unde expuncta statim debita, quæ & in annum sequentem etiam sufficerent procurata. Aliud mihi ab ipso *Vener. Patre* narratum exemplum recordor (nisì fortè tacito nomine sese descripserit) fuisse *Provincialem* in alterutra *Provincia Polonica*, vel *Litvanica*, (non enim post annos ferè quinquaginta

ginta rite memini) qui in *Collegiorum* visitatione cùm in *Rationarijs* libris legeret, non modicam pecuniam profusam esse in vinum factitium, quo Septemtrionales Populi utuntur, quod alij gravi supercilio damnabant, dicere solitum: *Bibant servi DEI! comedant servi DEI!* nullum tamen ex *Provincialibus* illis repertum, cui magìs benedixerit DEUS, & sub cujus gubernatione liberalissimè plurima *Collegia* excitata sint, & quæ antè fundata fuerunt, magìs locupletata; hæc se in commendationem liberalitatis narrare. Cùm *Calissij Rectorem* ageret, memorabile quiddam accidit, quo ejus liberalitatem in suos DEUS comprobavit: defecerat vinum, quo infirmi senes, aut alioquin egentes, aut identidem majoribus per annum festis omnes socij recreabantur, nec nisi dimidio palmo, ùt *Cellarius* probaverat, ascendebat in vase. Non patiebatur *Collegij* egestas, extra tempus vinum emi & comparari; omnes brevì subtrahendum, vel minuendum saltèm solitum vini demensum existimabant. Vetuit quidquam de consvetæ charitatis mensura subtrahi *P. Rector*, imò liberaliùs multò quàm antè ægrotis, hospitibus, & convalescentibus, & debilibus dari jussit. Res mira! illud vini pauxillum in vase, majori parte anni, sufficit omnibus, quibus integrum vas aliàs sufficere non poterat; auctus insuper, & vino additus gratissimus sapor, famáque per *Provinciam* vulgatâ mira-

miraculi, laudata ab omnibus *P. Nicolai* liberalitas; in *Collegio* certè non alio nomine quàm *vinum DEI* vas illud ſemper vino fluens appellabatur. Hoc inſigni exemplo charitatem *P. Nicolai* approbavit DEUS. Addit *P. Godefridus Schubertus* in ſuis de *P. Lancicij* vita notatis: *Adſtiti*, inquit, *An. 1637. duobus è Regno Poloniæ Primarijs Præſulibus, quorum alter erat Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, cùm coram Patribus noſtris Collegij Olomucenſis iſtud de Viro narrarent, uterq; aſſerebat vinum illud DEI à ſe guſtatum, nec pro ullo alio vino unquam habitum eſſe, quàm quod DEUS miraculosè auxiſſet.* Adferam aliud, quo diſciplinam & obſervantiam Regularum ſibi placere DEUS monſtravit: prunus erat in eodem Collegio feraciſſima, ſed eadem illicium Juniorum, & Magiſtrorum, qui ſinè licentia, quod rem eſſe parvam exiſtimarent, veſcebantur, & pruna carpebant. Indignum id *P. Rectori* viſum, qui nihil exiguum cenſebat, quod virtutibus Religioſorum proprijs (paupertati & obedientiæ) adverſaretur; accedit igitur ad arborem fructibus gravidam, & in nomine Chriſti imperat, nè quid impoſterum ferat, quod gulam Religioſorum irritet. Dictum, factum, cùm veſpere hodierno onerata fructibus arbor ſtetiſſet, manè amiſſo jam vigore tota cum fructibus exaruit, deſiitque gignere fructus, qui contra diſciplinam regularem carperentur; cæterùm *P. Nicolaus* apud quoſ-

quoſdam, qui timeri, quàm amari malunt, cùm imitatione *Sanctiſſimi noſtri Fundatoris*, paternæ charitatis præcordia omnibus indiſcriminatim exhiberet, malè audiebat, at ubi tam ſvaviter & paternè ab eo tractatos pacificè inter ſe, & ſanctâ concordiâ conjunctos, eoſdémque Superiori ad omnes nutus obedientes, alacres, ſempérque lætos aſpicerent, contrà verò aliorum *Collegiorum* ſtatum nonnunquam turbatiorem ex triſti & duro, coacto & violento regendi modo, compararent, feliciter ſvavitatem illam imitati, ad votum omnia ſuccedere, & pacatè geri ſenſerunt, ut *P. Nicolao*, jam *Provinciam* regente, univerſæ *Provinciæ* facies vividior, & lætior appareret juxta *faciem Sanctorum*, ùt ſacræ literæ loquuntur.

CAPUT XV.

Gratia & Authoritas R. P. Lancicij, tum Provincialis apud Reges, & Proceres Regni Poloniæ. Recitantur literæ P. Nicolai ad Regem Wladislaum. P. Nicolai Religioſa fortitudo recuſantis legationem ab Inſtituto noſtro alienam.

LÆtiſſimus *Collegiorum* ſtatus *R. P. Nicolao* gubernante, non potuit *Proceres Regni Poloniæ* latere, multáque ex concordia domeſtica

ſtica emolumenta in ſocios ipſos promanârunt; creſcebat apud omnes ſociorum æſtimatio, honorabantur, amabantur *Collegia*, adducebantur in exemplum, qui ſic concordes, modeſtiæ *Religioſæ*, Regularum ſuarum & Legum obſervantes haberentur; retulítque mihi aliquando ipſe Senex, dicere ſolitos Cives, illos Sacerdotes, qui in templis ſummâ oculorum modeſtiâ Miſſas legerent, oculóſque in officio tenerent, neque eo tempore, dum ſe ad populum vertunt, circumferrent, eos ex diſciplina *Lancicij* prodijſſe. Ipſum verò *P. Nicolaum* in amoribus ſummorum *Procerum & Antiſtitum Regni* fuiſſe, multorum teſtimonia oſtendunt, qui eum *omnibus Regni Ordinibus* (verba ſunt *Joannis Chondzynsky, Theologiæ Doctoris & publici in Academia Vilnenſi Profeſſoris*) *in Polona Republica chariſſimum appellant*: duos glorioſiſſimos & prudentiæ regalis laude conſpicuos *Reges Sigiſmundum III. & Wladislaum* ità Societati & ſibi conciliaverat, ut eos quodammodò poſſideret, eorúmque corda haberet in manu. Ab uno *Rege Wladislao IV.* capere conjecturam licebit: *Rex* igitur *Wladislaus* ejus prudentiæ & orationibus plurimùm tribuens, eundem conſilijs in rebus graviſſimis adhibebat, ejus gratiſſima & ſalutaria monita libenter audiebat, atque etiam inter media caſtra & arma literas ab eo poſtulabat. Exemplar *P. Nicolai* Epiſtolæ adjungo, quæ & Religioſæ ſim-

ſimplicitatis apud tantam *Majeſtatem* ſpecimen exhibebit, & zelum P. *Nicolai* in *Rege* ad amorem DEI & juſtitiæ inflammando ſatìs demonſtrabit.

Sereniſſime Rex:

ILle fidelis ſervulus magni illius *Monarchæ*, cuì authore DEO proficiſcenti Smolenſcum donaverat nummum aureum *Conſtantini Magni*, ominans ei Victoriam (poſteà feliciſſimè ſubſecutam) eidem ſalutem dicit: & hanc ſtrenam Natalitiam nomine Domini JESU mittit, cum apprecatione longævæ & omnimodæ felicitatis. Quandoquidem propter occupationes ſuas non poteſt multum orare in die, & commendare *Regi Regum* ſuas (ut ſalvetur, & feliciter gubernet) & Regni (ut pace & felicitate fruatur, quâ DEI beneficijs ſub illius Regimine fruitur) neceſſitates, ſuppleat longas orationes & preces efficaci procuratione, & ut in ſe & ſubditis ſuis diminuantur peccata, & DEI ac Sanctorum cultus quàm maximè propagetur. Quod poteſt facere duobus modis. Primò: per ſua decreta juſta, in favorem *Eccleſiæ* & ſubditorum, inibíque tractatorum ab alijs lata. Secundò: dando omnem operam, ut Eccleſiaſtici tam Sæculares quàm Regulares liberentur & præſerventur à peccatis per eos modos, qui rationabiles ſuæ Majeſtati videbuntur, & ſuggerentur, ab ijs viris, à quibus ſua *Majeſtas* ſcit amari, & DEUM

UM timeri. Quocircà aliquoties in die breviter (utì occupatus) ſed ferventer Domino DEO dicat ſaltèm mente hæc vel ſimilia verba : Domine DEUS non poſſum multum orare, propter occupationes meas, ſed locò orationis offero tibi in unione meritorum Filij tui deſideria mea, quæ habeo, vitandi peccata mea, & ea in omnibus ſubditis meis impediendi, & gloriam ac cultum tuum, quàm maximè propagandi; tantùm da efficacem gratiam, ut hæc exequar, & te nunquam offendam, & plenus meritis in gratia tua feliciter moriar. Amen. Hæc ſaltèm ter in die Domino DEO dici poſſunt : manè poſt ſomnum excuſſum; deinde tempore Sacrificij Miſſæ, maximè poſt elevationem *SS. Eucharistiæ*, & tertiò antè quàm eat cubitum. Talis voluntas & ejus oblatio Divinæ Majeſtati ex toto corde facta magìs placebit, quàm longa vocalis precatio. Quæ in ea Epiſtola ſequuntur,nihil attinet deſcribere; ex his tamen, quæ adduxi,ardens divinæ gloriæ promovendæ zelus, tum pia & ſancta in *Rege* admonendo audacia, denique familiaris ad *Regem* admiſſio ſatìs apparet. Huic confirmandæ aliud adferre poſſum exemplum : acceſſit aliquando *Curiam Regis Pater Nicolaus* cum literis *Adm. R. P. N. Mutij*, quas ad *Regem* dederat in negotio Societatis, quod etiam magnas *Poloniæ* Regno utilitates allaturum videbatur; facultate *Regium* Conclave ingrediendi ſinè omni

omni mora impetratâ, *Rex* ipſe detecto capite *Patri* venerabundus occurrit, manúque ejus dextrâ apprehensâ, & oſculo *Regio* priùs honoratâ deducit, útque commodiùs & viciniùs ſermones conferre poſſent, rectâ ad feneſtram ſecum trahit. *Pater Nicolaus* ſenſum literarum, quas intereà *Rex* aperuerat, primùm exponit, deinde cùm *Rex* ipſas literas dediſſet in manum, ipſos epiſtolæ verſus explicare aggreditur; dum id maximè facit, ex inſperato Sol, qui priùs erat in nubilo, tam potenter reluxit, ut lectionē literarum impediturus videretur; confeſtim *Rex Regiæ chlamydis orâ elatâ*, illam feneſtræ partem contegit, quà Sol legentem Patrem impediebat, ac tam diu manum Regiam extentam ſuſtinuit, dum *Pater Nicolaus* totum epiſtolæ contextum legendo percurreret. Nihil itaque mirum *Regis*, *Antiſtitum*, ac *Procerum* venerationis, & ſingularis reverentiæ exempla, plebem quoque, ùt ſolet, imitari voluiſſe: nam ſi per plateas *P. Nicolaus* incederet, etiam adulti flectebant genua, & petitâ ad oſculum Patris manu patriâ voce ingeminabant: *Sancte Pater ora pro nobis*! Unde coactus eſt *Pater* ad illam honoris ſignificationem evitandam curru vehi plateatim, ſi quid eſſet, quod amicis in Urbe communicandum haberet. Hæc, quæ modò retuli, à pluribus, iíſque præcipuis *Poloniæ Provinciæ Patribus*, *Romam* ad Congregationes proficiſcentibus ſæpe comme-

morari audivimus. Ac profectò ea potissima causa fuit, cur *Pater Nicolaus* oblatam sibi *Bohemiæ Provinciam* tantâ facilitate acceptârit, ùt ipse in quibusdam literis ad *Adm. R. P. N. Mutium* ingenuè confitetur; de quo plura in sequentibus. Antequam hoc caput claudam, unum adhuc exemplum adferam, ex quo *Regis Wladislai*, & *Procerum Poloniæ* in *P. Nicolaum* benevolentia, grandis æstimatio, & de *P. Nicolai* prudentia & dexteritate sensus, simúlque *Patris* in recusando honore, Societatis moribus contrario, fortitudo apparuit: *Rex Wladislaus* cùm ad conjugium applicuisset animum, & nescio cujus ex *Proceribus* parùm *Catholicæ* Fidei tribuentis consilio, conjugem sibi (nomen, genus, Religionem & alia quædam consultò prodere nolo) designâsset, quod sinè dubio *Vicario Christi Romano Pontifici* placere non poterat; sperabat tamen, si quis authoritate & sanctimoniâ vir præstans, eam legationem *Romam* ad summum *Pontificem* obiret, totum negotium facilè transigi posse, & ad exitum, quem Rex optabat, perduci. Omnium *Procerum*, quos *Rex* consilio adhibuerat, sententijs, aptissimus ad eam legationem judicatus est *P. Nicolaus Lancicius*, qui id negotij Romæ tractaret. Monuit *ex Proceribus* unus aliquis *P. Nicolaum* vir peramicus, id agi, & propediem vocandum ad Regem. *Pater* consulto precibus DEO, cùm ejusmodi legationes à nostro

Insti-

Instituto alienæ essent, atque insuper gravibus præceptis vetarentur, statuit omni ope obsistere, nè quid tale sibi imponeretur, quod pessimum exemplum in Societate relinqueret. Manè sequenti vocatur ad *Regem*; at ille in sinu *Institutum Societatis* portans *Aulam Regis* ingreditur; admittitur protinus magnâ significatione honoris; *Rex* incipit; negotium, quod suprà dixi, aperit; addit suum & *Procerum* omnium sensum, séque id ex Societatis & *P. Nicolai* æstimatione facere, & legationem illam deferre. Debita cum reverentia orationem totam audivit *P. Nicolaus*, atque ubi *Rex* conticuit, multa de Societatis universæ & suâ erga *Regem* observantiâ præfatus, hoc unum esse respondit, quod à *Regia Majestate* deprecaretur, simul Societatis regulas quas secum domo attulerat, extrahit è sinu, & quæ in hanc rem facerent, maximè XLI. regulam ex Communibus *Rege* audiente legit: illicò *Rex*, ùt erat Sapientissimus, & moderatissimus, humilitate & humanitate recusationis captus mutavit consilium, & in hunc modum respondit: *Placet nobis, mi Pater, prudentissimum & in longum prospiciens Ordinis vestri statutum, & tua regularum observantia; scito mi Pater ex recusatione tua tam modesta, nihil tibi apud nos de favore Regio imminutum esse, quem tibi ac tuis omni tempore exhibere parati sumus*; tum alijs quibusdam negotijs pertractatis, magna comitate verborum,

morari audivimus. Ac profectò ea potiſſima cauſa fuit, cur *Pater Nicolaus* oblatam ſibi *Bohemiæ Provinciam* tantâ facilitate acceptârit, ùt ipſe in quibuſdam literis ad *Adm. R. P. N. Mutium* ingenuè confitetur; de quo plura in ſequentibus. Antequam hoc caput claudam, unum adhuc exemplum adferam, ex quo *Regis Wladislai*, & *Procerum Poloniæ* in *P. Nicolaum* benevolentia, grandis æſtimatio, & de *P. Nicolai* prudentia & dexteritate ſenſus, ſimúlque *Patris* in recuſando honore, Societatis moribus contrario, fortitudo apparuit: *Rex Wladislaus* cùm ad conjugium applicuiſſet animum, & neſcio cujus ex *Proceribus* parùm *Catholicæ* Fidei tribuentis conſilio, conjugem ſibi (nomen, genus, Religionem & alia quædam conſultò prodere nolo) deſignâſſet, quod ſinè dubio *Vicario Christi Romano Pontifici* placere non poterat; ſperabat tamen, ſi quis authoritate & ſanctimoniâ vir præſtans, eam legationem *Romam* ad ſummum *Pontificem* obiret, totum negotium facilè tranſigi poſſe, & ad exitum, quem Rex optabat, perduci. Omnium *Procerum*, quos *Rex* conſilio adhibuerat, ſententijs, aptiſſimus ad eam legationem judicatus eſt *P. Nicolaus Lancicius*, qui id negotij Romæ tractaret. Monuit *ex Proceribus* unus aliquis *P. Nicolaum* vir peramicus, id agi, & propediem vocandum ad Regem. *Pater* conſulto precibus DEO, cùm ejuſmodi legationes à noſtro

Inſti-

Instituto alienæ eſſent, atque inſuper gravibus præceptis vetarentur, ſtatuit omni ope obſiſtere, nè quid tale ſibi imponeretur, quod peſſimum exemplum in Societate relinqueret. Manè ſequenti vocatur ad *Regem*; at ille in ſinu *Inſtitutum Societatis* portans *Aulam Regis* ingreditur; admittitur protinus magnâ ſignificatione honoris; *Rex* incipit; negotium, quod ſuprà dixi, aperit; addit ſuum & *Procerum* omnium ſenſum, séque id ex Societatis & *P. Nicolai* æſtimatione facere, & legationem illam deferre. Debita cum reverentia orationem totam audivit *P. Nicolaus*, atque ubi *Rex* conticuit, multa de Societatis univerſæ & ſuâ ergà *Regem* obſervantiâ præfatus, hoc unum eſſe reſpondit, quod à *Regia Majeſtate* deprecaretur, ſimul Societatis regulas quas ſecum domo attulerat, extrahit è ſinu, & quæ in hanc rem facerent, maximè XLI. regulam ex Communibus *Rege* audiente legit: illicò *Rex*, ùt erat Sapientiſſimus, & moderatiſſimus, humilitate & humanitate recuſationis captus mutavit conſilium, & in hunc modum reſpondit: *Placet nobis, mi Pater, prudentiſſimum & in longum proſpiciens Ordinis veſtri ſtatutum, & tua regularum obſervantia; ſcito mi Pater ex recuſatione tua tam modeſta, nihil tibi apud nos de favore Regio imminutum eſſe, quem tibi ac tuis omni tempore exhibere parati ſumus*; tum alijs quibuſdam negotijs pertractatis, magna comitate verborum,

& Regij favoris & gratiæ conteſtatione *Patrem* à ſe dimiſit, grandi documento, Religioſos Ordines, ſi *Inſtituta*, & regulas ſanctè obſervent, gratiam *Principum* non amittere, ſed mereri. Circa hæc tempora (nam verum tempus & certum invenire non potui, ſed ex *Libellis arcanis* res comprobatur) in graviſſimum *P. Nicolaus*, dum Provinciam regeret, incidit morbum, ex quo ſe moriturum certiſſimò ſibi perſvaſerat; dictavit tunc Epiſtolam ad *Provincias Poloniæ*, ad Amicos & dilectos ſibi in ſpiritu filios, ex qua hæc pauca ad imitationem noſtram excerpſi: *Quia expedit, ut ſciant omnes, quibus vijs, meo judicio, ad acquirenda DEI dona ſingularia pervenerim, ante mortem enuntio; ſunt autem hæ, quæ & alios juvare poterunt. I. Habui magnum ſemper affectum erga Societatem, & res illius, quod & in alijs propagare omnibus viribus conatus ſum. II. Parvarum regularum exactam obſervationem magnifeci, potiſſimùm ſilentij. III. Semper Superiorum partes tuebar, defendendo eorum ſtatuta, & facta, acquieſcendo religioſæ diſciplinæ. IV. Agendo cum externis habebam rationem peculiarem ſpargendi odorem bonæ ædificationis, non tam abſtinendo à rebus reprehenſione dignis, ſed motus manuum ipſos, oculorum &c. totámque corporis compoſitionem, ad eundem ædificationis finem ordinando. V. In modo agendi domi, non attendebam, quomodo alijs placerem, ſed quomodo guſtum*

ſtum DEO præberem, abſtinendo me ab ijs, quæ fieri poterant ſinè ſcandalo, ùt ſunt ſermones de indifferentibus, nunquam intrando aliorum cubicula &c. Unde aſſecutus ſum: Primò, ut mihi omnes creaturæ occaſionem præberent, ferventer amandi DEUM, & potiùs me in ejus amore juvabant, quàm impediebant. Secundò, corpus obediebat animæ, dicendo ei affectu tenero, ut tantiſper expectet diem retributionis ultimæ, quâ ipſum eſſet honorandum à DEO.

CAPUT XVI.

Gravis procella in Vener. P. Nicolaum Provincialem Præpoſitum à malevolis excitatur. Romam ad electionem Præpoſiti Generalis iteratò proficiſcitur. Nova ejus commoratio Romana. Ordinationes Præpoſitorum Generalium colligit. Cœnobij Romani Turris ſpeculorum dicti, curam iteratò ſuſcipit magno Virginum ſacrarum profectu.

HAnc gratiam & authoritatem, quam Superiore capite deſcripſeram, apud Regem & Regni Poloniæ Proceres, tam Eccleſiaſticos quàm Seculares, non ferens malus dæmon, qui Sanctorum gloriâ acerbiſſimè uritur, gravem in bonum Patrem excitavit procellam: fortè tum frequentiſſima Regni Poloniæ Comitia celebra-

bantur, & quia causa Religionis tractabatur, non modò major & minor Regni Nobilitas aderat, sed etiam Superiores Religiosorum Ordinum ad ea Comitia jusserat advocari Rex, intérque eos *Provincialem Lancicium.* Articulo quodam controverso in medium prolato, jussus sententiam dicere Provincialis, mitiorem (quam ipsam præcipui Antistites, & Proceres Catholicæ Religionis studiosissimi antè & post Patrem dixerant) nè Regnum universum turbaretur, secutus est. Statim adversarij Patris, alijs qui idem senserant præteritis, unũ *P. Nicolaum* compositâ ad Regem, & ad Adm. R. P. Generalem nostrum accusatione invadunt: Schismaticorum partibus in Comitijs favisse, per eum stetisse, quò minùs Schismatici ejicerentur, apparere eum necdum omnes affectus exuisse, quos juvenis in schola Calvini imbiberat. Atrox calumnia! quam *P. Nicolaus*, dum, an refelleret, an solito silentio concoqueret, dubitat, en tibi literæ *Adm. R. P. Mutij Vitellesci Generalis*, quibus pro potestate mandat, ut eam sibi, & Societati nostræ injuriosam accusationem, quâ posset ope, amoliatur. Paruit Pater, cúmque in hoc negotio *Regem Wladislaum* implorâsset, continuò *Rex* diploma confici jussit, in quo diserte testatur: *Has calumnias non à virtutum Æmulis, sed invidis processisse*; publicè scripto Regio contestans: *P. Nicolaum* esse virum integerrimum & universo Regno

per-

perutilem &c. quas literas totius *Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ* ſigillo permunivit. In eandem ſententiam *Archi-Epiſcopus Joſephus Velamia*, & omnes *Epiſcopi Ruſſiæ, Poloniæ, & Litvaniæ*, ſubſcriptis manu propriâ nominibus, literas confecerunt, quas ſe vidiſſe & legiſſe in forma Juris deſcriptas & ſignatas An. 1642. teſtatur ſæpe laudandus *P. Godefridus Schubertus*; cujus notatis de vita Ven. Patris vehementer adjutum me profiteor. Ità hæc compoſita in Patrem techna evanuit, & mendacij Authorem malum dæmonem oſtendit. Jam ad ſeriem vitæ redeamus. Sæpe jam queſtus ſum, non eſſe mihi ad manum catalogos *officiorum Provinciæ Polonicæ & Litvaniæ*, ut poſſim *P. Nicolai* officijs annorum notas adjungere. Conſtat nihilominus eum *Electioni* interfuiſſe *Adm. R. P. Mutij Vitelleſci*, cùm *P. Claudius Aquaviva* An. 1615. mortuus eſſet, à Congregatione Provinciali Poloniæ ablegatum. Interfuit etiam poſt hujus mortem An. 1645. (*V. opuſc. 15. c. 25.*) Electioni Adm. R. P. Vincentij Caraffæ, à *Provincia Litvaniæ* Elector miſſus (*Lit. P. Lanc. A. 1646. 11. Decemb. Neſviſio*) à quo etiam Viro Sancto, ſibi in omnem reliquam vitam munus Tertiarios Patres noſtros inſtruendi, Romæ impetravit; in hoc cœtu ampliſſimo & graviſſimo, exhortationem habuit magna cum commendatione; quod munus ex honoratiſſimis, & ſpectatiſſimis Profeſſo-

rum uni deferri ſolet. In utraque earum Congregationum Generalium utilem operam præſtitit Patribus congregatis, ſcripta Archivi Romani adferendo. Etiam Romam adijt in cauſa *Collegij Cracovienſis*, cùm ab Alma ejuſdem Urbis *Academia* oppugnaretur : quod munus tantâ ſapientiâ & conſtantiâ Romæ in Theatro Orbis peregit, ut nullis, licèt graviſſimis difficultatibus abſterritus cauſam deſereret, quin potiùs efficeret, ut de ſententia *Pontificum*, *Privilegium* & libertatem docendi etiam *Cracoviæ* obtineremus : ùt diſertè affirmat in P. Lancicij elogio *P. Nathanaël Sotvellus, in Catal. Script. Soc.* Quot in hac defenſione Collegij labores, & curæ ſuſcipiendæ fuerunt! Agenti enim Collegij cauſam agendum erat non ſolùm contra oppugnationes nobiliſſimarum *Academiarum*, verùm etiam contra potentiſſimos tam Secularis quàm Eccleſiaſtici ſtatûs earundem Patronos. *Quâ autem ratione* (verba recito non mea ſed P. Caſimiri Kojalowicz) *contigerit, nè res poſt ſextam Apoſtolici tribunalis pro Collegio deciſionem, & geminas de executione literas à P. Nicolao obtentas, eventum, quem optaveramus haberet, non eſt hujus Inſtituti ſcribere; unum innuerim, ceſſiſſe jure ſuo Collegium, neque excluſum eſſe, ſed dediſſe concordiæ, quod cum juſtitia tuebatur; obtuliſſe denique munus hoc per Legatum Georgium Oſſolensky Regni Cancellarium Wladiſlai IV, nuper electi, Majeſtati* in-

intervenienti: *etsi suprema in Orbe terrarum Pontificum Romanorum authoritas victoriam Societati concessisset*; sed nos odiosa inviti persequimur. *Romæ* aliquot Annos iterum consumpsit, quippè ante mortem *P. noster Claudius*, eò quòd Ordinationes & Responsa *Generalium* excrescerent, statuerat omnia colligi, & certis titulis dispesci, ut unum quoddam veluti corpus *Provinciales & Rectores* Societatis haberent ad manum, quo subinde inspecto in simili casu occurrente dirigerentur. Aptissimus ad eam rem visus est jam antè in Archivo Societatis versatissimus *P. Nicolaus*, confirmavítque P. *Claudij* præjudicium Successor *Adm. R. P. Mutius*, eámque Provinciam *P. Nicolao*, qui tum sæpius *Romam* commeabat, imposuit. Fecit quod imperabatur *P. Nicolaus*, & magno labore grande Ordinationum volumen collegit, quod & Archivo Societatis reliquit, & descriptum Provincijs transmissum est, hodiéque in plurimis Collegijs ejus exemplar servatur. Alius quoque labor, ísque molestior, sed cum majore DEI gloria conjunctus P. *Nicolaum* exercuit. Est *Romæ* Virgineum Cœnobium, quod ex institutione & legibus *S. Franciscæ Romanæ* vivit, nobilitate Virginum florentissimũ, virtutibus etiam florentius, *Turrim speculorum* appellant; in eo Cœnobio, quod curæ P. *Nicolai* commiserant Majores, ut ab eo in vita spirituali dirigeretur, magna animarum lucra, & opi-

mas messes in Christi horreum intulit. Vivebat adhuc *Theodora Celsa*, quæ in quadam visione cœlesti, ùt superiùs narraveram, P. *Nicolaum* monilibus aureis & gemmeis in Missæ Sacrificio ornatum, & incredibili pulchritudine, & Majestate viderat; vivebant & aliæ familiaritate DEI, & cœlitũ celebratæ sacræ Virgines, & institutione P. *Nicolai* multum in virtutibus & sanctimonia processerunt; quas ut ille magìs Christo Sponso conjungeret, multa salutaria monita scripsit & dedit in manus. Extat adhuc in Archivo quodam Provinciæ Bohemiæ, justum volumen Italicè à P. *Nicolao* scriptum, continens meditationes pro sacris Virginibus factas Romæ 1625. Item aliud æquè Italicum de acerbitate pœnarum Purgatorij, & quâ ratione illæ possint evitari, tum etiam vita P. *Julij Mancinelli*, & *B. Aloysij*, tum exercitia spiritualia *S. Patris nostri Ignatij*, & plura alia Italicè; sed maximè Exercitia, quæ incredibiles animorum commutationes, & conversiones (de quibus aliquid innuit ipse P. *Nicolaus* opusculo 6.) in sacris Virginibus effecerunt. Facit hujus Virginei Cœnobij mentionem sæpiùs P. *Lancicius*, illúdque à sanctimonia mirè commendat, ùt etiam opusculo 2. Dum *Violentiæ Palumbaræ sorori Marchionis Palumbari*, morienti assisteret, adstantibus plurimis Nobilissimi illius Monasterij Virginibus (quæ *Violentia* oculorum usum morbo amiserat) repentè illa luce

cœ-

cœlesti circumfusa nominatim Virgines compellabat; plurimas earum radiantes, & ob innocentiam & puritatem vitæ velut Sponsas Christi ornatas se vidisse testata, non tamen omnes, quas etiam nominare omisit. At illarum, quas nominaverat, globulos precatorios, alioquin ex vili ligno confectos, ex adamantibus, rubinis, sapphiris, constare affirmabat. Sed nihil illustrius in eo Cœnobio gestum, ipse P. *Nicolaus* existimabat, quàm admirabilem conversionem Virginis nobilissimæ *Romanæ Mariæ Bonaventuræ*, quæ excellenti ingenij acumine ac judicio prædita, ab astrorum cognitione, & à scribendorum Italicorum versuum peritia, celebrabatur in primis; atque ob excelsitatem animi cum svavitate morum conjunctam, inter sacras DEO Virgines (quarum in eo Cœnobio plures quàm centum è prima Romanæ Urbis nobilitate numerantur) longè eminebat. Longum esset ejus cœlestia lumina, & propè miraculosam conversionem (in exercitijs spiritualibus *S. P. N. Ignatij* An. 1626. à *P. Nicolao* traditis) & quomodo ex levi & inutili, omnibus, etiam viris, placendi studio, in aliam commutata sit, vitámque & mortem ejus sanctissimam percensere: præsertim cùm ipsemet P. *Nicolaus* opusculo 6. c. 22. latè describat. Invito Lectorem ad illud caput inspiciendum, satis scio admirabitur Virginem, tam repentè, & tam fortiter amicitias omnes abrupisse,

&

& tam intimè Sponſo ſuo Chriſto conjunctam tot luminibus illuſtratam, DEO ſe reddidiſſe.

CAPUT XVII.

Vener: P. Nicolaus pro Provincia Bohemiæ petitur, & poſt annos quatuor multiplicatis precibus demum impetratur. Miraculum clepſydræ in aëre pendentis. Infert Provinciæ Bohemiæ Sanctorum Martyrum corpora.

ANnis pluribus *Romæ*, in publica Orbis luce, cum magna utilitate proximorum, & apud omnes collectâ Sanctitatis famâ verſabatur *P. Nicolaus*, cùm ecce An. 1628. ad Congregationem Procuratorum, *R. P. Martinus Santinus* ex Provincia Bohemiæ Romam miſſus advenit, qui auditis tot ejus laudibus, & de tanta Inſtituti noſtri notitia certior factus, viſis etiam, quæ tunc ad DEI gloriam præclara fecerat, conjectis oculis in *Provinciam Bohemiæ*, quæ non ità pridem ab Auſtriaca diviſa, viris authoritate, ſenio, rerum uſu, Magiſtratibus in Societate geſtis, aliiſque dotibus inſtructis non abundabat, collato cum *Aſſiſtente Germaniæ* conſilio, *P. Nicolaum* ab *Adm. R. P. N. Mutio* inſtitit petere, exiſtimans eum *Bohemiæ* (quam Provinciam *P. Mutius* Benia-

niaminum ſuum appellare ſolebat, quòd eam ſcilicet primus ab Auſtriaca ſeparâſſet, & quaſi in ſenectute genuiſſet) magnas utilitates allaturum; & ſi nihil aliud ei Provincia deferret, *Inſtructorem Patrum tertij anni*, quo nunc idoneo careret Provincia, eximium futurum. Magnis precibus acta res eſt, ſed, qua de cauſa neſcio, in longius tempus protracta: exiſtimo non parvum impedimentum objeciſſe bella, quibus ardebat Bohemia, ùt temporum illorum Annales legentibus patet. Denique *R. P. Daniel Kirchner Bohemiæ Provincialis*, nomine totius Provinciæ ab *Adm. R. P. Mutio*, P. *Nicolaum* huic Provinciæ feliciter impetravit, venítque *Ven. Pater* in hanc Provinciam ad finem Anni 1635. Certum enim eſt, eum antequam in *Bohemiam* immigraret, atque in ea cenſeretur, priùs in Polonia primi *Litvaniæ* Provincialis circa Annum 1631. munus geſſiſſe. An. 1632. *Warſaviæ* ſub tempus *Comitiorum*, pro novi Regis electione indictorum, poſt obitum *Sigiſmundi III. Poloniæ Regis*, cùm in ijſdem Comitijs quiddam contra immunitatem Eccleſiaſticam moveri cæpum eſſet à quibuſdam Politicis, P. *Nicolaus* ſcriptum pro immunitate Eccleſiaſtica Senatoribus Regni porrexit (quod in Tomo ſecundo opuſculorum ejus reperitur latinè redditum) eóque tantum effecit, ut omnes malevolorum conatus eliderentur. Poſt Provincialis munus laudatiſſimè

ge-

geſtum An. 1635. Patrum, qui tertiùm probantur, ùt apud nos eſt mos, *Præfectum ſpiritûs* egit, in Provincia *Litvaniæ*; quo anno miraculum illud clepſydræ, aut certè miraculo proximum contigit, quod ejus verbis, potiùs quàm meis, offeram legentibus: *Dum ad legendum S. Tereſiæ librum, ubi doctrinam de humilitate tradit c. 5. Dum*, inquam, *ad legendum illum è menſa cum impetu arripuiſſem, Neſviſij coram Patribus tertij Anni, & ligula libri traxiſſet clepſydram Italicam, quam inadvertenter collocâram ſupra illam ligulam non hirſutam, ſed lævem, tota clepſydra, incluſum quadrantem mediæ horæ continens, pependit in aëre, ſuperficietenùs tangens ligulam ſinè ulla convolutione fili, aut rei alterius hiſpidæ, aut glutinoſæ, uno verbo ſinè ulla cauſa naturali, quæ pondus duplicis clepſydræ pendentis naturaliter ſuſtinere poſſet, ſinè ullo naturali ſuſtentaculo, & retinaculo in puro aëre; donec P. Jacobus Koſſuc accurrit, & clepſydram pendentem accepit, ligulâ tamen illâ non ſequente motum clepſydræ. Unde agnovi hanc doctrinam DEO placere, & veram eſſe, quam ex nullo libro didiceram, ſed poſtea quæſivi authoritates ad ejus confirmationem. Hoc accidit Anno 1635. Neſviſij.* Sed jam ordine temporum poſcente ad aptiſſimum & plurimis ſalutarem *Ven. P. Nicolai* in Bohemiæ Provinciam adventum veniamus. Prima *P. Nicolai* in Bohemiæ Provincia habitatio Olomucium (quo Anno 1635. 1. Decem-

cembris advenerat) fuit, ubi aliquamdiu *Præfecturam ſpiritûs* totius Collegij, oblatam à Provinciali ſuſcepit; hîc ego primũ (quod maxima inter DEI beneficia reputo) *Venerabilem Senem* conſpexi, eíque dum in *Contubernio Olomucenſi* adoleſcens degerem, poſt dimidij anni luctam totum me in diſciplinam tradidi, qui me anno 1636. in *Tyrocinium Societatis Brunenſe* deduxit; ab eo tempore nunquam deſij P. *Nicolaum* obſervare, literis appellare & conſulere, vel ſi adeſſet, adire. Hæc ob eam maximè cauſam adjicio, ut omnibus conſtet, quæ in *Bohemia* ab eo geſta ſunt, mihi probè perſpecta & cognita fuiſſe, nihílque me ſcripturum, quòd non aut viderim, aut à *Venerabili Sene* non audiverim, aut denique ab idoneis & oculatis teſtibus non acceperim. Sed de ejus commoratione *Olomucenſi* plura in ſequentibus. Hoc tempore ingenti theſauro *Provinciam* ditavit, ſcilicet octo corporibus Sanctorum, quibus poſteà plura adjecit, ut nullum propè reperiatur Collegium, quod ſacris illis pignoribus deſtituatur. Infinitus eſſem, ſi cœleſtes gratias, & beneficia, quæ in miſeros mortales in diverſis Eccleſijs, ad eorum oſſa, & ſacros cineres, qui plerumque in altaribus aſſervantur, contulit DEUS: pleni ſunt Annalium noſtrorum libri, ſed hic locus ea referendi non eſt; *Ven. P. Nicolao* tamen velut primo allatori, quidquid illud boni acceptum fuit, debetur. Attulit

etiam

etiam *Ven. Pater Romanam* de his Sanctorum reliquijs atteſtationem, tum alteram *Vilnenſem* ſub ſigillo *Conſiſtorij*: Romana atteſtatio veritatem corporum Sanctorum adſtruebat, at *Vilnenſis* teſtabatur *R. P. Nicolaum* multas Sanctorum Reliquias, & integra corporum oſſa *Vilnam* attuliſſe *Româ*, quocirca ijs publicum honorem per ſolenniſſimam proceſſionem præſente ipſo *Epiſcopo* habitum eſſe, ea deinde ſacra pignora varijs à P. *Nicolaò* Eccleſijs donata. Imitari hanc in Divos pietatem voluit *Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus à Dietrichſtein, Olomucenſis Epiſcopus*, & ſupplicationem inſtitui permiſit ſplendidiſſimam à noſtris A. 1636. 2. Februarij. Multa *SS. Martyrum* corpora quaſi in triumpho circumlata ſunt, cui Proceſſioni ipſe *Eminentiſſimus Cardinalis* cum *Suffraganeo Præpoſito*, ac ſimul *Officiali* interfuit; roſaria ex veneratione *SS. Martyrum* ad illorum corpora attacta, quæ in altari quatriduo oſtenſa ſunt, & quinta hujus veſperi decantatis Litanijs ad Sacellum incenſis luminaribus, Noſtris omnibus, atque ipſo *Provinciali Societatis Jeſu Daniele Kirchner*, ſunt deportata. Porrò ex ijs octo corporibus Martyrum duo (videlicet *S. Placidi*, & *S. Dionyſij*) *Collegio Olomucenſi P. Nicolaus* donavit, quæ hodiéque in veneratione ſunt; *S. Olympium Martyrem Znoymenſibus* dono miſit: qui Anno 1636. 13. Auguſti totius Urbis ſupplicatione in templo

So-

Societatis nostræ in eleganti Arcula compositus est. *Guttenbergæ S. Basileus M.* obtigit, cujus festa dies agitur 2. Martij. *Collegium Cremsiriense* (quod *Hradisstium* postea translatum est) *S. Victoriæ Virginis* sacro corpore honoravit *P. Nicolaus*. *Glacense Collegium S. Secundam Virginem & Martyrem* accepit, *Giczinense S. Secundinam* Virginem & Martyrem, sed primùm An. 1651. 14. Januarij, *Varmiâ* illud *Giczinium* misit. Exstant in ultimis Collegijs *Glacensi* & *Giczinensi* variæ de his Sanctorum corporibus attestationes, *Abrahami Voyna Episcopi Vilnensis*, in quibus testatur ex singulari gratia *Pauli V. Pon. Max.* acquisita esse legitima, adducit Juratorum testium authentica testimonia, *Romæ* desuper data. Sunt aliæ literæ *Eminentissimi Cardinalis Francisci Dietrichstein*, item *Eminentissimi Cardinalis Ernesti ab Harrach* in eodem Argumento. Item attestatio propriâ manu scripta, & sigillo munita *Illustrissimæ Dominæ Mariæ Comitissæ de Altham*, quæ in gravissimo dentium dolore admotis *S. Secundinæ* Reliquijs, subitò curata est, quod attestatur in fide Sacerdotali *Collegij Giczinensis Rector*. De *S. Secunda* Virgine & Martyre, quam *P. Nicolaus Collegio Glacensi* misit, ità ad me scripsit *P. Daniel Sanderus*: *hujus S. Virginis nomen ac devotio erga ejus Sacra Lipsana valde crevit ab Anno 1652. in Populo Glacensi, quando non solùm plurimæ fœminei sexûs id sibi nomen in Sacramento*

Confirmationis adsciverunt, *verùm etiam puerilis ac puellaris ætas recurrente quot annis extremo Augusto Divæ Festivitate*, *solenniore apparatu*, & *amictu templum subit*, *suæq; Catecheseos Olympica sub honore S. Secundæ celebriùs instituit*. *Collegium Reginæ Hradecense* aliquot Sanctorum corporibus, & plurimis, & sat justis Sanctorum ossibus, à P. *Nicolao* donatis gloriari potest, ùt *S. Protectore Martyre*, *S. Marcellæ* Virginis & Martyris corpore, & quis omnes enumeret? sunt enim ter denis plures, de quibus Litaniæ editæ sunt Typis ad excitandam in juventute scholastica, atque etiam in populo pietatem. Iidem honores Sanctorum corporibus habiti sunt in cæteris per *Provinciam Societatis Jesu Collegijs*, quod semel innuisse satìs est.

CAPUT XVIII.

Ven: P. Nicolaus utilissima omni hominum generi opuscula conscribit, & quam rationem in ijs scribendis tenuerit.

IAm pridem ante annos plurimos scribendi initium *P. Nicolaus* fecerat: *Vilnæ* cùm Theologiam doceret, vulgaverat librum, quo Hæreticorum ora confixit, de usu Eucharistiæ sub una specie; & alios ejusmodi plures lingvâ patriâ. Glori-

ri-

riam *S. Ignatij Cracoviæ* ante An. 1622. tacito suo nomine vulgavit, qui liber magno omnium Nostrorum exceptus est plausu, affirmátque *Sotvellus in Catalog. Scriptor. Soc. Jesu*, *P. Nicolaum* suppeditâsse materiam *Ven. Patri Eusebio Nierenbergio* ad laudes S. Ignatij copiosiore libro scribendas; usum meditandi, quo nunc aliquot *Societatis Provinciæ* in quotidianis meditationibus utuntur, in primo suo Rectoratu (quem existimo *Calissiensem* fuisse) confecit, ùt ipsemet in proœmio Opusculi XXI. fatetur, adductus nimirum præsenti utilitate, quòd Sociorum non pauci paratam materiam meditandi ex vita Christi non haberent, neque in certa puncta eam sibi dividere scirent aut possent. Si alia in publicam lucem edidit, mihi de ijs non constat. Hoc tempore, cùm otio abundaret in Collegijs, & Patrum in tertia probatione *Instructorem & Magistrum* ageret, cæpit quædam opuscula spiritualia ad utilitatem posterorum conscribere, & vetera sua recognoscere. Ad id præstandum facultatem maximam præbebat *P. Nicolao Tertiariorum*, quos ità vocamus, Patrum numerus, ex quibus plerumque eligebat duos trésve, qui mundè, eleganter, & correctè, quæ senex scripserat, describerent, aut ex ore dictantis exciperent. Primum opusculum de *rectè traducenda adolescentia Olomucij* scriptum videtur: in eo enim invenio documenta vitæ spiritualis, quæ nobis Adolescen-

tibus tradiderat, mihíque, ut ità dicam, à manu ſua calentia Olomucij dedit in manus, quæ C. 23. N. 285. & dum ad *Tyrocinium Brunenſe* proficiſcerer, N. 286, & iterum alia pro Novitiatu N. 289 leguntur. Opuſculum ſecundum ubi elaborârit, utì & tertium & quintum non liquet. Sextum de *Recollectione octiduana* in Arce Carlſteinnatum ei eſſe, cùm in ea Arce invitatus ab *Illuſtriſsimis Herulis Kavkianis*, quibus ſpiritualia exercitia tradebat, ageret, mihi conſtat. Septimum de *ariditate in oratione Pragæ in Profeſſorum domo*, An. 1641. 10. Septembris, cùm ejus Lateri adſtarem, abſolvit. De Octavo, Undecimo, Decimo tertio, Decimo nono, ubi locorum conſcripta ſint, ignoratur. Nonum *de ferenda Cruce Chriſti* certum eſt Glacij An. 1640 abſolviſſe. Decimum *de Indicijs & gradibus profectûs in virtutibus*, inveni Patribus Tertiarijs fuiſſe dictatum, ùt oſtendit Præfatio. Duodecimum *de Conditionibus boni Superioris* Glacij quoque eodem Anno, ùt ſuprà, elucubravit. Decimum quintum *de Officijs Laicorum*, ipſemet fatetur *Brunæ* eſſe conſcriptum. Decimum ſextum *de fuga peccatorum venialium* inter prima, quæ apud nos ſcripſit cenſendum eſt, quod anno 1637. *Giczinij* dictavit, utì & Reliqua v. g. decimum ſeptimum de *præſtantia Inſtituti Societatis*. Item opuſculum, cui titulum fecit: *Gloria S. Ignatij*, jam An. 1622. quamvìs ſinè authoris

no-

nomine, *Cracoviæ* lucem aſpexit. Vigeſimum, & vigeſimum primum in *Polonia* confecta ſunt. Porrò in ſcribendis hiſce opuſculis mirabili prorſus, & extraordinario modo utebatur P. *Nicolaus*. Ante omnia multorum dierum orationem præmittebat, in Sacrificijs Miſſæ DEO commendabat, deligebat Sanctorum aliquos, eóſque pijs affectibus ſibi demereri ſtudebat, ut pro ſe ac labore ſuo intervenirent, ut auxilia divina impetrarent pro DEI gloria amplificanda, pro animarum utilitate, pro facilitate operis ex benedictione divina. Quæ omnia non tantùm ſcribendis libris, ſed etiam literis majoris momenti, aut ſi dictio, vel exhortatio habenda eſſet, præmittebat; ſæpiúſque evenit, ut occurrente neceſſitate ad quæſtiones difficillimas reſpondendi, promptiſſimè, ac ſolidè ea, quæ nec legerat, nec audierat antè, neque cogitaverat, internâ quadam luce perfuſus ad diſſolvendos nodos quæſtionum adduceret. Hac ratione pleraque opuſcula ſcripſit, eúmque tenuit modum, ut priùs ipſe ſenſum animi ſui panderet, poſteà verò Divinæ Scripturæ & SS. Patrum ſententijs approbaret; quod patebit ejus ſcripta legenti; *calamus ejus calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, nam celeritate mirabili, ut propè calamus mentem aſſequi non poſſet, ſcribebat, *nec petebat è libris ſcribenda* (*etſi fortè lecta anteà fuerant*) *verùm ſinè recordatione prateritæ lectionis, doctrinas à cæleſti Magi-*

stro acceptas notabat, loca item Patrum & Scripturæ (ùt loquitur P. Kojalovvicz) momentanea illius instructionis auscultatione percepta, diuturnâ scriptione vix in chartam effundebat. Opus certè, quod extat de Fratrum Coadjutorum directione, judicio prudenti semestrem operam scribendo expleverit; à Viatore interea, & hospite intrà Octiduum Brunæ conscriptum. Narrat, qui sensit odorem liliorum è scriptis illius promanantem, cùm nulli in cubiculo, aut propinquis locis adessent flores. Sed modus scribendi in rebus difficilibus facillimus in rerum, sententiarúmque è Patribus petitarum congerie, sinè librorum adminiculo fidem tam verborum, tam locorum, quàm paginarum retinens, majorem meretur auctoritatem, ut ex eo vim impetrandi ardua, orationi insitam cognoscamus. Hæc *P. Kojalovvicz*; quæ vel meo exemplo ipse confirmare possum. *Glacio* mihi *Brunam* miserat tractationem de *Spiritu peregrino*, qui scilicet *Societatis* moribus non conveniret; ea tractatio, mihi tradita non fuit, sed occultè ab alijs lecta, denique amissa est. Eam Senex multis vicibus à me repetebat; respondi, quod erat: mihi traditam non esse, & jam dici deperditam, proinde memoriam suam consuleret P. *Nicolaus*, & quod antè scripserat, iterum consignaret; negavit Senex id se ullo modo facere posse, quamvis DEI hominúmque imperia urgerent. Ità unius hominis futili consideratione pulcher-

cherrimum opuſculum amiſit poſteritas; ſtatuerat enim optimus Senex tractationem illam, in capita partiri, & doctrinas in ijs traditas authoritatibus *S. Scripturæ*, Patrum, & exemplis firmare. De odore ex ejus libellis effluente, ipſemet P. *Nicolaus* narrat; ſed eam rem non ſibi, ſed argumento divino, quod erat Sacrificium Miſſæ, attribuit; ſic enim opuſculo 11. cap. 19. in fine loquitur: *Existimo hunc modum audiendi ſacrum, placere Divinæ Majeſtati: quia cùm illum Italicè à me priùs ſcriptum, accommodâſſem Romæ Moniali Ordinis S. Benedicti in Turri ſpeculorum (ùt vocant) tunc manenti Æmiliæ Mutæ, germanæ ſorori Cardinalis Muti, & Marchioniſſæ Mutæ, illáque ob defectum temporis illum tunc legere non valens, ſcriptum meum repoſuiſſet in cella honeſta quidem, ſed ob incluſum diu aërem, occluſas feneſtras, & portam habente, tetri odoris, poſtquàm die ſequenti in eadem cella illud accepit ad legendum, ſenſit ex ipſo ſcripto effundi ſuaviſſimum odorem inſtar liliorum, quorum tunc tempus non erat, quamvìs nullus eſſet odor naturalis ſuavis in ea cella, nec artificialis.* Adjiciam hoc loco rem mirabilem, ex qua facilè patebit ejus opuſcula cœleſti auxilio, eóque ſingulari fuiſſe conſcripta, ut major æſtimatio doctrinæ, quam tradidit, ingeneretur. Poſtquam à latronibus in ſylva (quod in ſequentibus narrabitur) direpta ejus ſcripta omnia fuiſſent, acceſſi aliquando Se-

nem, qui in domo *Professorum Pragensi* degebat, cúmque adstarem scribenti, injeci in familiari colloquio, magnæ mihi esse admirationi, quòd Senex scriptis suis omnibus spoliatus, scriberet opuscula spiritualia, atque insuper, quidquid scriberet, *SS. Patrum* sententijs illustraret, quæ illi utramque paginam faciebant, ùt videmus; respondit Senex, hoc esse præmium *Sanctæ Obedientiæ*. Se enim præscivisse damnum & spoliationem omnium rerum suarum, insuper tres socios è comitibus ante se mactandos, ídque patefecisse *Superiori*, atque ut alio itinere mitterentur monuisse; sed DEO aliter visum: *Ab eo*, inquit, *tempore nullis notatis, quorum aliquot volumina per annos 48. diligentissimè collegeram, egere me sentio, nec curo illa recipere*; simul me provocat, dicerem argumentum aliquod, quod ille *SS. Patrum* sententijs confirmare paratus esset. Ego mihi moram dari peto; occurrit raras esse in Patribus *de S. Angelo Custode* sententias, videbámque ante eum *Græcorum Patrum* volumina (nam eos præcipuè lectitabat: *Chrysostomum*, *Basilium*, *Damascenum* &c.) peto mihi in *S. Joanne Damasceno* de *S. Angelo Custode* sententiam demonstrari; ille *Sanctum Damascenum* ex forulo librorum rapit, & sublatis in cœlum oculis librum temerè aperit, nullâ prorsus paginâ quæsitâ, tum digito intento legere me jubet; erat perelegans sententia de proposito argumento

S. An-

S. Angeli Custodis; tum alterum volumen, nisi me memoria fallit, *Basilij* accipit, in eóque ad *S. Angelum Custodem* pertinentem sententiam demonstrat: prima quam aperto libro invenit de *S. Angelo Custode* erat, ità & tertia. Dum mirarer ego, dicerémque sic facilè libros conscribi posse: *Atqui*, ajebat ille, *mi charissime major erit admiratio, si Bibliothecam mecum adire velis, quæ hîc vicina multùm meis negotijs servit: nam modò Augustinum, modò Bernardum, modò alia SS. Patrum volumina cubiculo infero, quibus temerè apertis sententias eorum excerpo, tam accommodatas materiæ, de qua tum scribo, ut in eam rem natæ videantur.* Ego stupens, & DEI providentiam laudans, discessi. Porrò (ut redeam in viam) tertium Tomum Opusculorum paratum propè habebat *P. Nicolaus*, qui ubi hæreat, scire non potui; sed cum magna utilitate vulgaretur. Primum in eo Tomo Opusculum erat *de Negotiatione Cœlesti*, duobus libris comprehensum, in quibus traduntur modi, merita quàm plurima congregandi in hac vita, & in DEI gratia crescendi ac multas in Cœlo coronas sperandi. Hoc Opusculum à P. *Nicolao* absolutum esse, dubitare non possum, ipsemet se mihi missurum promiserat, inveniόque illud in Opusculis alijs citatum; II. *de Judiciis temerariis*. III. *de immunitate Ecclesiastica*, déque coërcendis militum rapinis, bona Ecclesiasticorum infestantibus. IV.

de tempore bene expendendo, & modis bene illud expendendi. V. *Exercitia S. P. Ignatij* illustrata sententijs *SS. Patrum*, quoad omnes doctrinas eorum, egregium opus & luce dignum! VI. *de Discretione Spirituum*: in quo opusculo dedit certa signa & argumenta, ad dignoscendas illusiones sathanæ, & naturæ, in visionibus & revelationibus, & extasibus. VII. *de perfecta Oratione & contemplatione*. VIII. *de Detractione*, & modis varijs detrahendi vitandis. IX. *varia Spiritualia Dubia*, breviter sed solidè resoluta; & de praxibus & actibus virtutum, cuivis hominum statui accommodatis. X. *de Proprietatibus fidelium DEI Servorum*. Extra ordinem trecentas Exhortationes sacras, quas in diversis Provincijs & Collegijs habuerat ad Nostros, jam se in ordinem redegisse, & parare ad typum, Brunsbergâ An. 1650. 11. Januarij in Bohemiam familiaribus suis significat, ùt in literis propriâ ejus manu scriptis, quas asservo, legitur. Habentur etiam apud amicum Conferentiæ, ùt vocant, Spirituales seu Collationes ad *PP. Tertiarios de spiritu conservando, de confusione sui quærenda, de spiritu peregrino, de abnegatione universi amoris sensualis, an omnis locus orationi conveniens, de ariditatibus in oratione* (quam Brunæ A. 1636. habuit) *an possit quispiam cogitationes habere in potestate, quomodo in superiore intuendus sit Christus &c.* Utinam hæc, ubi ubi habentur, bono ani-

animarum protrahantur in lucem. Habentur præterea in *Archivo* cujuſdam Collegij in *Bohemia*, ejus manu propriâ conſcriptus Tomus unus de varijs viſionibus, & alius Commentarius in *Zachariam Prophetam*, item Tomus controverſiarum de varijs, item opuſculum de efficacia *SS. Eucharistiæ*, & impedimentis ejus effectuum; item reſolutiones variæ caſuum Conſcientiæ, item opuſculum, quo continentur controverſiæ *de Ecclesia*, & aliud in quo de verbo DEI & traditionibus. Item Tomus, in quo agitatur controverſia de Sanctis; & alio opuſculo tractatur controverſia de *Romano Pontifice*; rurſus alio, de concilijs; opuſculum aliud bene longum, cui titulum fecit: *de Diſciplina interioris hominis, & vita ſpiritualis inſtitutione*. Reperitur Tomus Italicus, qui meditationes ſpirituales complectitur, in uſum celeberrimi *Parthenonis Romani*, quem *Turrim ſpeculorum* vocant; item alius liber Italicus de pœnis *Purgatorij*, tum Vita *P. Mancinelli*, & vita *B. Aloyſij Gonzagæ*, utraque Italicè. Denique tractatus Theologicus de ratione Conſcientiæ, & Denunciatione uſitata in Societate JESU, & ultimò tractatus *de Sanctiſſimo Sacramento* ſub una ſpecie, ſed hic jam olim *Vilnæ* fuit impreſſus.



CA-

CAPUT XIX.

Ven. Patris Lancicij vivendi modus exterior.

PAtris Nicolai Vita nihil propè exteriùs valdè admirandũ præferebat, multa potiùs erant, quæ opinionem Sanctitatis apud imperitos minuerent, cùm ipse *P. Nicolaus* non augere, sed prodigere famam virtutis ubique conaretur. Memini, cùm familiariter solus cum solo confabularer, apertè mihi confirmâsse, impediri se legibus nostris, quò minùs ex toto *S. Philippum Nerium* imitari posset; quod tamen unicum sibi esset in votis: retulítque mihi, quæ *Sanctus* ille *Vir* ad sui confusionem publicè, in præsentia *Magnatum*, & frequentia *Nobilissimorum Civium Romanorum* factitâsset, quæque ipse P. *Nicolaus* opusculo 8. *de Humilitate quærenda*, commemorâsset; satìs innuens mihi, quæ abs se fierent, ex imitatione *S. Philippi* proficisci. In qua imitatione, & simulatione satìs felix & facilis P. *Nicolaus* esse poterat. Cùm enim naturâ ad lætitiam pronior esset, admixtámque sangvini choleram haberet, itáque per virtutem utramque domuisset, ut ferè nisi ipso volente nec lætitia nec cholera exsurgeret, facilè erat vel lætitiam vel choleram simulare. Ergo cùm fal-

fallere quempiam, qui facta ejus æstimare videretur, vellet, modò effusus in risum, leviculum aliquid proferebat, quasi risum captaret, modò advocatâ cholerâ ardente vultu, verbis acerbioribus, vitia hominũ insectabatur; noñunquam quasi gloriabundus varia dona sibi à DEO concessa narrabat, ut inanem gloriam aucupari videretur; si quẽ sinistrum de se rumorem audiret, velut sibi malè conscius, gestu quodam humili tantùm non fatebatur. Seipsum in quodam opusculo descripsisse videtur *Ven. Senex*: *Talis*, inquit, *erat* (loquitur de artificiosa simulatione ad tegendam virtutem) *S. Philippus Nerius, qui, utì audivi in concione publica, quam in ejus Anniversario habuit Cardinalis Baronius, hujus Sancti Confessarius, simulabat iracundiam, & signa excandescentis animi quandoque prodebat, ut pro iracundo haberetur. Ideòque idem Sanctus Vir sæpe suis illud inculcabat: qui vult inter vos sapiens esse, stultus fiat. Novi & ego in Societate aliquos, qui ut magnam opinionem, in qua apud alios erant, eorum ex animis evellerent, nec pro Sanctis (utì habebantur) haberentur, quædam faciebant, verè in se non mala, tamen à malignis condemnari solita: utì sunt conversatio jucundior, risus facilis, longior ad mensam accubitus, & his similia.*
Hæc quamvis ità se haberent, tamen in rebus ad DEI cultum spectantibus serius semper, & diligens inveniebatur: nunquam eum vidi per *Collegium*

gium euntem, sinè precatorijs globulis, quos assiduè volvebat, suam illam, quam vocabat *brevem coronam* recitans, cujus praxim habes Opusculo 11. c. 30. Vultus orantis, etiam dum per ambitus commearet, ardens, & in cœlum intentus; vix imperare sibi poterat, quin *Sanctissima JESU & MARIÆ* nomina elatiore interdum voce repeteret. Ad Missam faciendam procedens, quos præcipuè affectus & actus exerceret, ex Arcanis Libellis, quorum fragmenta Lib: II. dabimus, intelligi potest: Missam legebat affectu intensissimo, ferè eo modo, quem tertium orandi modum *S. P. N. Ignatius* in Exercitijs appellat. In altari deligendo nullum sibi relinquebat arbitrium, quocunque à *Sacristano* mitteretur, ibat lubentissimè. Sacrum plerumque tribus horæ quadrantibus, aut etiam cùm affectus urgerent, unâ horâ protrahebat; triumphum quendam amoris, ut ità dicam, agere accensâ facie, statu etiam corporis major videbatur, continenter post consecrationem Venerabilem Hostiam intuens, exilire quodam modo, & venis omnibus, & membris gestire. Et sanè mira eo celebrante contigisse, testantur, qui vidêre, quæ libro tertio reservantur. Cùm Missa, aut Vesperæ, aut Litaniæ canerentur à Musicis in templo, nunquam facilè aberat ipse; ante chorum templi, ut meliùs exaudiret canentes, cum suo illo rosario junctis ad præcordia manibus ambulabat

bat toto illius cantûs tempore, & ardentiſſima ſuſpiria velut jacula orationum ad DEUM & Sanctos mittebat. Dicendum ſemel eſt: nullâ re faciliùs in affectus ſeraphicos P. *Nicolaum* excitari ſolitum, quàm muſicis cantibus, ijs utique, qui voce peraguntur, & textu aliquo pio, ut ità dicam, condiuntur; exempli gratiâ: *JESU ſplendor paternæ gloriæ*, vel: *Amo te, DEUS meus*! quæ ſæpiùs à Muſicis, ùt fieri ſolet, repetita, etiam ipſe repetebat, & canendo imitari conabatur, & ſi à tranſeuntibus audiretur, nihil penſi habebat; rediens inde ad cubiculum, familiaribus ſuis dicebat cum quodam corporis & animi tripudio: *Audivi muſicam in templo? quod perinde eſt dicere: Lancicius prægustavit gaudia Cœli! qualia mihi hodierna muſica de Chriſto attulit gaudia? videte quantum ex hac amoris luctâ ſudaverim*! & cùm induſium à pectore extraheret, etiam rigidiſſimæ hyemis tempore totum manabat ſudore. In cubiculo tempus omne ità diſpenſabat, ut curaret nec breve tempus ſinè cœleſti merito elabi, ut jam antè dixi, continuâ & non interruptâ DEI memoriâ perſeverante, quem ille varijs ac varijs affectibus (quos in Opuſculo XI. deſcripſit) ſalutabat. Ad campanæ ſonum primus ferè, quò vocabatur, accedebat; quo in genere obedientiæ nullam imperfectionem ſciens admittebat, vocem Chriſti ſe audire exiſtimans. Cùm meditandum aut orandum eſſet, clauſis, aut mode-

modestè demissis oculis, nulli innixus fulcro omnia peragebat; solitúsque est dicere in actionibus nostris trium potissimùm habendam esse rationem, ut quàm optimè fiant; primò naturæ & virium humanarum: esse enim prudentis, non plus assumere, quàm ferre possis; certum ubique esse terminum virium nostrarum; DEO non placere, coactos & ultrà quàm vires ferant conatus: naturæ quoque nomine intelligebat ipsam actionis naturam, quæ certam quandam ex se perfectionem requirit; alterum quod spectandum sit in actionibus, *perfectionem* esse, si videlicet actio eo modô fieret, quo à viris perfectis proficisci consvevit; tertium, quod spectari debeat, esse *mortificationem*, ùt Religiosi vocamus, seu afflictionem. Omnes enim actiones nostras mortificatio comitari debet. Sic explicabat illud in regula *Summarij XII.* ubi admonemur, ut *continuam in rebus nostris abnegationem quæramus*. Ut v. g. in oratione facienda attendendo ad naturam orationis, noverimus; *preces fundi ad DEUM*; quàm igitur humiles, quàm ardentes esse oporteat, quæ ad tantum DEUM funduntur? Insuper inspiciamus, quid nos in ea juxta virium nostrarum proportionem præstare possimus. Deinde intuenda Virorum Sanctorum orantium exempla, ut ea quàm proximè imitemur; postremò aliquid assumamus molestiæ, vel in flectendo, vel eo statu

cor-

corporis, qui nos excruciet, ut ſi non inclinato pectore, vel capite demiſſo &c. oremus. Idem ſervandum ſvadebat in menſa, in qua oculos ità in officio continebat, ut non facilè, quid ab alijs ageretur, videret, memor temperantiæ, memor monitorum, quæ dantur à Sanctis, ut in edendo nunquam properaret, lentè, ac veluti coactè corporis exigentiæ ſuccurreret, guſtui quæ gratiora eſſent, ſubtraheret, aliquando etiam non ſinè guſtûs pœna, integra fercula delicatè condîta reſpueret; qua in re ſenectutem nauſeabundam habebat obtentui. Ità enim Senex delicata faſtidiebat, ut mortificatio non animadverteretur; contrà verò inſipidis libenter veſcebatur, cùm alij ex hac aviditate conjecturam facerent, eum illo cibo maximè delectari, ideóque ejuſmodi cibos ſæpiùs adferebant. A menſa cùm ad communem recreationem accederet; omnes ex ſocijs, qui divinis colloquijs tenebantur, certatim illi ſe aggregabant. Narrabat ille, ùt erat noſtrarum rerum peritiſſimus, ignota alijs de *S. P. Ignatio*, déque alijs Sanctis, de amore vocationis, ac cætera jucundiſſima argumenta, ut multi ſociorum magìs ſe ad virtutem inflammatos ex recreatione diſcedere, quàm ex matutina meditatione faterentur. Univerſim dicere poſſum: quæcunque ageret, etiam alijs uſitata & communia, in eo aliquid cœleſte & divinum habere videbantur; ipſa etiam humana negotia

ità tractabat, ut ea cum DEO, & virtute jungerentur. Quod nemini mirum videri debet, cùm in omnibus ſpectaret DEUM, & rationes æternas & dies antiquos haberet in mente, atque inſuper, quod poſtea in virtutibus narrabitur, votum edidiſſet, ſemper meliora & perfectiora ſequendi.

CAPUT XX.

Quænam Collegia in Provincia Bohemiæ, & quàm utiliter inhabitârit. Periculum vitæ à latronibus incurrit, amittit omnia ſua ſcripta chariſſima, quàm jacturam patientiſſimè, & heroico prorſus animo perfert.

PRimum Collegium, quod in *Provincia Bohemiæ* inhabitavit *P. Nicolaus*, ùt antè dixi, *Olomucium* fuit, magno operæ pretio: quippe primo ſtatim commorationis ſuæ Anno donationem pro *Bohemiæ Provincia Zemeticenſis Ditiunculæ* impetravit, & ſtabilivit; quod diſertè *Olomucenſis Rector in Diario* ſuo annotavit. Multum etiam contulit ad affectum *Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Joannis Friderici Breiner Decani Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis* lucrandum; fuitque ei chariſſimus in morte; unde *Collegium Olomucenſe* vehementer ſe adjutum ſenſit. Invenio

etiam

etiam manu Rectoris annotatum, *Collegij Cremsiriensis* (quod posteà *Hradisstium* translatum est) initia & fundationem, cùm obsisterent nonnulli (quòd ea Civitas *Episcopalis* sit, & sinè *Capituli Episcopalis* licentia *Domicilium* Religiosorum admittere non posset, ùt ipsi jactabant) *P. Nicolai* apud *Eminentissimum Cardinalem Dietrichstein* gratiæ, & suæ in negotio hoc diligentiæ, ob perruptas omnes, quæ opponebantur, difficultates, deberi, ejúsque fideli operâ effectum, impetratúmque, ut ea fundatio, quam *Jllustrissima Herula Zaubkiana* vivens adhuc faciebat, sinè mora in Tabulas *Provinciales Moravia* inscriberetur. Quàm utilem eo tempore domesticis nostris operam præstiterit, in dirigendo spiritu, & commendandis virtutibus, ex *Rectorum Diariis* cognoscimus; ubique Sanctitatis in omnibus Collegijs vestigia impressa relinquens, quorum etiam apud exteros Optimates, Cives, & Populum memoria diu permansit. Etsi enim Nostros præcipuè in spiritu dirigendos, ùt jubebatur, sibi sumpserit; non omittebat tamen, cùm se occasio daret, sæcularium curam spiritualem suscipere. Itaque in omni propè Collegio invenit, qui se ei in disciplinam traderent, ejúsque consilia sequerentur; plurimos hâc occasione juvenes ad Societatem nostram, aliásque sacras Religiones misit, ac dicam semel: in Urbibus, in quibus degebat, ferè omnibus aut

Nobilitate, aut dignitate & Officio, aut reliquâ aliâ notâ insignibus, bonus Senex noster notus erat; omnes eum, ùt Sanctum, venerabantur. *Magistrum Tertiariorum*, ùt dixi antè diu egit, præcipuè in Collegijs *Giczinensi & Glacensi*, quo tempore mira acciderunt, quæ in sequentes Libros differimus. Cùm jam *Tertiarij* non suppeterent, *Pragam* ad Professorum domum missus est, ubi præcipuos *Procerum Regni* suos fecit, maximéque *Excellentissimam Domum Sternbergicam & Martiniciam*, habuítque inter eos duos maximè, *Comitem Georgium Adamum supremum Regni Cancellarium*, & *Franciscum Mathiam à Sternberg* familiarissimè conjunctos, quorum priori monita quædam sanctè in *Aula* vivendi conscripsit, quæ deinde typis sunt edita Prægæ, reperiuntúrque etiam in fine secundi Tomi opusculorum; alteri Bechinæ An. 1641. octiduana *S. P. N. Ignatij* exercitia à se priùs in externorum usum accommodata, & conscripta tradidit. Cùm *Giczinij Tertiarios* Patres quatuordecim numero instrueret, accidit *Panirij* hostilis in *Bohemiam* incursus; quid tunc damnorum *Bohemiæ* illatum sit, eorum temporum Scriptores consulantur, *Litomericium*, *Mielnikum*, *Brundusium*, *Reginæ-Hradecium* cepit hostis, *Pragam* ipsam tormentis muralibus verberavit, denique *Bohemiam* universam vel in deditionem coëgit, vel tributariam habuit. Quod ad institutam nar-

narrationam ſpectat: *Collegium Giczinenſe*, quia periculo proximum, diſſolutum eſt omnino, dimiſſis ad tutiora Socijs; *Guttenberga P. Nicolao* obtigit, ſed neque hìc ſecuro eſſe licuit. *Rectoris* ergò juſſu *P. Nicolaus Novamdomum* cum aliquot Socijs deſtinatur. Annus erat 1639. 31. Maij, quem diem profectioni Sociorum nominaverat *Rector*: acceſſit, ùt antè innui, *Vener. P. Nicolaus Rectorem*, monuítque, ſi recto itinere per Ledecium Novamdomum proficiſcantur, periculum non evitaturos, *ſe de ea re diſtractionem habuiſſe* (ità Senex loqui ſolebat, cùm ei cælitùs aliquid revelatum fuiſſet) *tres ex Sociis mactandos, alios ægrè evaſuros*. *Rector* perturbatus, quid diceretur à Sene, non multùm penſi habuit, juſsítque nihilominus Socios eò, ubi timebatur periculum, contendere. Curru vehebantur tres, *P. Joannes Meak*, & *Coadjutores Laici Martinus Ignatius*, & *Wenceslaus Trnozka*, quartum *P. Nicolaum* cupiebat *Rector* addere, ſed is excuſavit, & equum ſibi dari popoſcit; datus eſt; cæteri Sociorum pedites, iter non paſſibus æquis faciebant. Jam alterum à *Guttenberga* milliarium ingrediebantur, & Litanias Sanctorum omnium, qui in curru ſedebant, recitabant; P. *Nicolaus* ſuam illam coronam parvulam manu tenens currum eques ſequebatur, cùm ecce hæretici latrones hinc atque hinc armati apparent, & fremitu edito in tres primos, bom-

bardas exonerant: *P. Meak* juxta cor vulnere accepto *JESUM & MARIAM* invocans mortuus corruit; trajicitur ſecundùm tempora *Wenceslaus*; *Martinus* etſi accepto vulnere diutiùs vixit, ſecuri in caput adactâ, altero adhuc die orans, & trunco arboris genibus innixus repertus. Dum hæc aguntur, *Ven. Senex* viſis ante ſe mortibus Noſtrorum, altiore conſilio inſtinctus, equo deſcendit, eóque ad currum relicto, pedes nihil concitato curſu iter relegit, nullo (quod miraculi inſtar habitum eſt) ex latronibus ſequente. Ubi extra conſpectum venit, interiorem ſilvam ingreſſus omni prioris periculi metu vacuus cuidam arbori acclinis cogitare ſecum cœpit: eſſétne quidpiam in anima ſua, quod ſibi aditum tardiorem, in Cœlum efficeret, & moram, nè protinus à morte ad DEI conſpectum intraret, injicere poſſet? quo in examine Conſcientiæ ſuæ diutiſſimè perſiſtens, tandem cùm inveniret nihil, libellum divinorum ſuorum luminum, quem ſemper ſecum ferebat, incepit legere; qua in lectione eum quidam Sociorum reperit, qui Patrem in illa perturbatione rerum diu per ſylvas omnes quæſierat, ùt putabat amiſſum; quem Pater ubi ad ſe venientem vidit: *Mi frater*, inquit, *ô ſi illâ ſecuri, qua frater noſter Ignatius, percuſſus fuiſſem, rectâ, nullius mihi parvi aut magni reatus conſcius ex hac ſylva ad amœna Cœlorum, & montes æternos tranſiviſſem.* Hæc de ſe *Vener. Senex*

Senex An. 1639. *Iglaviæ P. Godefrido Schuberto* narravit, & post dies aliquot *Pragam ad R. P. Petrum Wadingum*, cui viro addictus erat plurimùm, ipsemet Pater perscripsit. Redeo in viam: Socij Patre reperto læti, mutato consilio aliò iter flectentes securè, nullo in via periculo occurrente, *Iglaviam* tenuerunt; *Ven. Pater* rebus omnibus spoliatus præter vitam, & quæ in se ferebat: *Breviarium, Rosarium, Sacrarum Reliquiarum thecam* è collo pendentem, *Sanctæ Joannæ granum*, aliud nihil sibi relictum vidit. At latrones, cùm nescio quas, & quàm divites prædas in curru vehi suspicarentur, apertis incensâ cupiditate cistis, non pecuniæ, sed chartarum thesauros invenerunt, quas tumultuariè per summum furorem excutientes in varijs sylvæ locis dissipârunt, quæ diu omnibus aëris injurijs subjectæ, propè inutiles omnino evaserunt, admissâ scilicet putredine, & pluvijs, & imbribus deletis pene omnibus literis. Erant autem hæc charissima *P. Nicolao* scripta, quibus currum impleverat, quæque *Romæ* collegerat, aut jam edenda proximè conscripserat, adjuncta ijs erant aliquot *SS. Martyrum* lipsana, quæ ità confusa posteà invenêre rustici Catholici, nostrísque Patribus reddidêre, ut omninò discerni non possent. Rerum charissimarum amissio, quàm altè in *P. Nicolai* animum descenderit, & quanto ejus animum mœrore compleverit, ipsemet ego testari possum,

qui etiam post aliquot Annos, de jactura tot egregiorum Scriptorum dolentem, & DEO affectibus teneris jacturam illam rerum suarum offerentem sæpiùs audivi. Affirmabat certè Senex nihil sibi à DEO ad probandam patientiam in vita acerbius immissum esse, sed jam se vicisse, & de dolore gaudere, cùm videat *Divinam Majestatem* hoc Sacrificium velut sui *Isaaci* à se postulâsse. Innuebat scilicet revelationem à DEO sibi factam antè quàm è *Collegio Guttenbergensi* discederet: cùm enim eo ipso die Missam in *Basilica S. Barbaræ* legeret, in ipsa *SS. Eucharistiæ* sumptione ex illa vocem audivit ter repetentem: *Quid si tu omnia tua scripta amitteres?* ad quod ille: *Domine cum vita mea libenter tibi offero scripta mea, quæ tamen ampliùs quàm vitam meam diligo, quantíque ea fecerim tu nôsti!* Hæc ad verbum Senex *P. Godefrido* suo *Iglaviæ* narravit. Memoriam hujus diei in posterum singulis annis, quasi ingens beneficium accepisset, summâ pietate colebat & iejunio consecrabat, ad Refectorium nonnisi vesperi ad gustandum aliquid cibi, descendens. Solatium ingens Patri attulit ipsemet *Augustissimus Cæsar Ferdinandus III.* (cui *P. Nicolaus* ob *Sanctimoniæ* famam, & donum, quod *Sacello Cæsareo* domestico designârat, corpore scilicet *Sanctæ Cæsareæ* notus jam erat) cùm decretum triplici idiomate ad *Capitaneo Regionales* misisset, viderent, ut magnâ curâ à

cer-

certis hominibus *P. Nicolai* ſcripta colligerentur, & reſtituerentur; ſed ſerum erat *Sapientiſſimi Cæſaris* mandatum, quod jam, ùt dixi, ſcripta illa vitium admiſerant. Porrò ut hoc obiter adjiciam, *Catholicæ Religionis* odio tres illos Socios trucidatos multa oſtendunt: quòd viatores alios ſinè damno tranſire permiſerint, etſi pretioſiora quædam vehi aut ferri viderent; quòd hæretici latrones eſſent; quòd dum necem inferrent, ignominioſis vocibus Catholicos nebulones, & per contemptũ (gednuſſky) *uniſtas* appellarent; quòd, ùt poſteà patuit, ab hæretico Nobili ad facinus conducti eſſent; plura ad id probandum argumenta *R. P. Martinus Stredonius* (qui tum *Provincialis* munus gerebat) adducit, quæ in Mortibus *Illuſtribus P. Alegambe* leguntur. Nobilis ille poſteà captus, & in albam *Turrim Arcis Pragenſis* conjectus, cùm, fide Viri Nobilis interpoſitâ, ad aliquot hebdomadas è cuſtodia emiſſus eſſet, exortâ rixâ ab alio *Equite Nobili* transfoſſus perijt; meo nomini parco, cùm eum non nomino; ſed evaſiſſe præpropera illa morte pœnas ſceleri ſuo debitas ab omnibus judicatus eſt. Nam latrones poſteà capti, & tormentis, antequàm agerentur in rotas, adacti verum dicere, omnes Nobilem cædis Authorem & incentorem nominârunt. Unus aliquis ex ijs prædonibus (qui omnes ante mortem Catholicæ Fidei lumen aſpexerunt) per duos propemodum annos

Pragæ in carceribus *Novæ Civitatis* in vinculis ſedit, & ſqualore contabuit; huic *P. Nicolaus* quot hebdomadis die Sabbathi impetratam à ſe ſtipem liberalem mittebat, & ejus miſerijs, & tam longæ captivitati ingemiſcebat, & illachrymabatur ſæpenumero, digniorem ſe præ illo reputans, qui ob peccata ſua carceribus deputaretur æternis. Poſt hæc ſcripta bonâ fortunâ incidi in literas P. *Nicolai* An. 1639. 6. Septemb. ad P. *Auguſtinum Copitium* Iglaviâ datas, in quibus quæ in illa latronum ſylva amiſerit, compendio deſcribit: *Amiſi*, inquit, *omnia prorſus ſcripta, etiam illa P. Julij Mancinelli, quibus erat plena ampliſſima ciſta, & tres magni ſacci coriacei Italicè Bolgæ dicti. Gaudeo (propter me) quòd pro DEO illa amiſerim.* In alijs ad eundẽ Patrem literis accuratiùs amiſſa enumerat: *Ferè centũ Tomos ſcriptorum perdidi, præter innumeras Reliquias ſelectiſſimas cum dente S. Ignatij, & S. Benedicti; cum terra Chriſti Sanguine tincta, & ligno Crucis, & alijs multis rebus, & tria corpora Sanctorum in ciſtula quadrata longa, & lata paulò minùs duobus palmis; erant corpora chartis diviſa, chartulæ intra oſſa certos numeros continentes, indicabant nomina eorum. Præterea Biblia in 8. cum gloſſis meâ manu adſcriptis; item Conſtitutiones Societatis & regulas omnes in rubro pargameno: Exercitia primùm Romæ impreſſa; Bullæ omnes Societati datæ; duo Tomi Reſponſa Generalium continentes, alter meâ manu, alter ordine Alphabeti alienâ pulchrè ſcriptus. &c. &c.*

CAPUT XXI.

Ven. P. Nicolaus Pragæ in Professa Domo aliquot annis commoratur. Rationem Conſcientiæ juxta morem Societatis Provinciali reddit; cujus exemplar repertum deſcribitur, & hîc recitatur. Bellicis tumultibus increſcentibus in Poloniam redit.

Cùm Majorum noſtrorum de ſuis cura, aliquam *P. Nicolao* quietem poſt tot annorum labores, quos cum *Patribus Tertiariis* ſuſtinuit, indulgeri ſvaderet, útque amplius tempus ſua, quæ ad typum parabat, opuſcula augendi, limandi, & adornandi haberet, *Pragam Bohemiæ Urbem Principem* ablegatur, eíque *Præfecti ſpiritûs*, in *Profeſſorum* domo *Pragenſi* munus imponitur. Incredibile dictu eſt, quantum ſpiritualis profectûs, commoratio illa Noſtris attulerit! ibamus ad eum ex *Collegio Antiquæ Urbis*, quoties opportunitas ſe daret, Scholaſtici magno numero, atque etiam Patres adultiores, ut aliquid cœleſte ab eo diſceremus. Ego omnis recreationis ſtato die adibam, ſempérque doctior in virtutum ſtudio, & rerum noſtrarum peritior abibam; ſæpe contigit, ut ab alijs præventus, nec ſalutato Sene cogerer diſcedere.

Ex hujusmodi colloquis libellos quidam sibi confecêre, in quibus ejus responsa, & alia, quæ de nostris rebus, & *Sanctorum* vitis & exemplis rarissima commemoraverat, annotabant; quod cùm didicisset Senex ægerrimè tulit, præsertim quòd non intellectâ ejus sententiâ, quædam velut abs se dicta referrentur. Mihi sæpè hac de re questus est, se nihil, ùt homines solemus, loqui posse; omnia pro vaticinijs & oraculis, quæ more humano diceret, accipi; inter alia, moriturum se *Romæ* spargi, ídque velut à se prædictum circumferri, cùm nihil ejusmodi abs se dictum meminisset. Sed in colloquio cum amicis id solum dixisse, fieri posse, ut semel adhuc *Romam* accederet, & forsitan etiam moreretur. Hujus dicti causam se non aliam habuisse, quàm naturalem & humanam: cùm enim, inquiebat, *P. Noster Generalis Mutius* Annum octogesimum ætatis diu expleverit, indictâ generali congregatione ad eligendum *Præpositum*, probabiliter inter *Electores* se futurum, quòd inter seniores professos numeraretur, & nemo propè jam viveret, qui priori *Congregationi Generali*, in qua electus est *Mutius*, præter se interfuisset, atque eo pacto putare se *Romam* venturum. Alia exempla complura recitabat, quæ in aliam partem, quàm ipse dixerat, accepta fuissent, ideóque rogavit, ut ejusmodi scripta sibi exhiberentur, deleturum enim si quid malè intellectum fuisset, & additurum plu-

plurima; quod factum ab aliquibus, ab aliquibus neglectum authoritate caret. In *Professorum* domo cùm degeret, mira cum eo quædam accidisse ab idoneis testibus accepi, quæ in *Librum III.* rejicio. Interea advenit *Pragam R. P. Gregorius Schelicius*, qui visitationem *Domûs Professæ* mense Junio Anni 1641. juxta morem Societatis indixit. Ratio Conscientiæ ab omnibus domesticis reddita est, etiámque à Sene nostro petita, quod rariùs fieri solet cum gravibus & senibus viris. Et *P. Nicolaus* humilitatis cultor egregius totam animam suam coram eo effudit, & rationem Conscientiæ suæ reddidit, quam gaudeo in manus meas venisse, quæ sic habet: Ratio Conscientiæ facta coram *R. P. Provinciali* in visitatione *Domûs Professæ ad S. Nicolaum Pragæ* mense Junio An. 1641.

Fructus ex meditationum & rerum spiritualium usu sunt hi: libera mens ab omnibus peccatis merè internis, utì sunt cogitationes otiosæ, turpes, iracundæ, suspiciosæ, censoriæ, & his similia judicia interna, ídque à multis annis constanter.

Corpus ab annis penè quadraginta liberum à tentationibus carnis, & à motibus fœdis in aspectu quarumvis personarum pulchrarum, & in conversationibus longis, necessarijs cum fœminis, & pueris formosis. A multis annis conatus assiduus, nullum peccatum admittendi. In oratione, horis Canonicis & Sacrificio Missæ, conjunctus DEI bene-

nefi-

neficio cum vitatione peccatorum & negligentiarum.

Ab annis 48. in Meditationibus quotidianis ardens devotio & fervor in corpus redundans, sinè ulla ariditate, & cum affectibus ferè perpetuis, more orationis affectivæ, excitantis semper mentem ad desideria heroicarum virtutum, præsertim ad fugam cujuscunque minimi peccati, ac violationis regularum, & ad omnia bene peragenda, & ad tolerandas heroicè omnes adversitates, & res amori meo proprio displicentes, & ad perpetuum profectum in virtutibus. Mens libera ab annis 40. circiter à primo-primis motibus iræ & aliorum affectuum inordinatorum erga eos, à quibus aliquid pati contigerit, & amor tener erga illos cum ardenti desiderio ijs benefaciendi, in occasionibus oblatis re ipsâ demonstrari solito. In omnibus officijs & occupationibus distractivis mens DEO actualiter unita, non minùs quàm in ferventi Meditatione, & Sacrificio Missæ.

Facilitas orandi ardenter, statim post somnum, comestionem, recreationem, & post quamvis occupationem distractivam. Major inclinatio mentis ad orandum & loquendum spiritualia, quàm ad recreationes etiam honestas. Corporis, longo usu devotionum, subjugatio talis, ut dum caput fatigatum est longâ horarum aliquot lectione, vel scriptione, relaxationem majorem percipiat ex svavi

cum

cum DEO colloquio, & familiari conversatione, quàm ex alia occupatione non spirituali animi distractiva: Rarus in peccata venialia, levia, & indeliberata, exteriora tantùm, nunquam mentalia, ab annis penè 50. lapsus.

Assidua cura, cum quadam reflexione continua, ut omnes temporis partes expendat in operibus meritorijs tum naturâ suâ, tum actuali oblatione, singulorum etiam passuum ad finem supernaturalem scilicet DEUM, faciendo omnia propter ipsum sinè ullo respectu ad remunerationem.

Animi quies magna, conjuncta cum lætitia & mentis, & vultûs, dum tribulationes exsurgunt.

Perpetuum & ardens desiderium tribulationum, in libello devotionum expressum.

Summa cura servandi silentij per annos 48. nunquam violati & fortè nec in Novitiatu, saltèm non meminit se unquam illud in Novitiatu violâsse.

Ingens dolor animi etiam corpus afficiens, causari solitus repentè ob graves DEI offensas, dum eæ videntur, vel audiuntur in Confessione, vel extra illam.

Auditio peccatorum carnalium in Confessione, excitans in animo magnum odium, omnis impuritatis, & ardentem amoris affectum erga DEUM.

Continuum & ardens desiderium proficiendi in virtutibus heroicis, & assequendæ omnis possibilis per-

perfectionis ad dandum DEO quàm maximum gustum, & gloriam.

Mens libera ab annis circiter ferè quadraginta ab omni desiderio & tentatione vanæ gloriæ, magna de omnibus tanquam se melioribus opinio cum quadam teneritudine sinceræ charitati conjuncta, se interiùs exerente, erga omnes & domesticos & externos, dum ei occurrunt in via, vel veniunt in conspectum ejus.

Fuga rerum talium, ob quas apud alios conciliari possit Sanctitatis opinio, & hanc ob causam permisit se in alienam Provinciam trahi, ut se subduceret à magna Sanctitatis opinione, in qua erat apud Regem, Regni Proceres, Episcopos, & alios ob famam effectuum quorundam miraculosorum, quæ in personis Jllustribus, eo id non cupiente, acciderant, & ob alia similia ibi, mira, se non cooperante, vulgata, sed ab alijs animadversa.

Anima cujusdam Nostri, circa mediam noctem Varsaviæ mortui, secundâ circiter horâ post excessum è corpore, oranti, & vigilanti apparuit Glacij, mæsto vultu indicans necessitatem suffragiorum. Diem autem & horam mortis posteà agnovit, ex literis Provincialis ad eum datis, qui morienti interfuit.

Ista hoc anno conservata & aucta.

A multis annis quotidie facit quinque disciplinas, per plures quàm 5. psalmos, tum pro animabus

Pur-

Purgatorij, tum pro exiſtentibus in peccato mortali. Pro benefactoribus ſuis, præſertim ijs, qui ei præbent materiam patientiæ, tum pro alijs ſuis neceſſitatibus ſpiritualibus, præſertim progreſſu in virtutibus. Nunquam eas omittit, nè quidem diebus Paſchatis & ſimilibus magnis ſolennitatibus. Conatur enim ità vivere, nè poſt mortem ullam in Purgatorio pœnam damni, & ſenſûs patiatur; quod quidem etſi ei ante 34. annos à B.Virgine promiſſum certò ſit, & hæc promiſſio etiam manifeſto miraculo confirmata; tamen in ea ſe non fundat, ſed acſi de hac re certus non eſſet, omnes modos poſſibiles, quantum licet, & decet, ſinè externis ſingularitatibus adhibet cum perpetua ad hoc reflexione, & hujus rei memoria, ut in hac vita totum Purgatorium expleat, & adhuc multos cumulos ſatisfactionum relinquat in theſauro Eccleſiæ diſpenſandos, à Summo Pontifice, pro animabus in Purgatorio juvandis. Ad quod cùm juxta S. Thomæ doctrinam, receptam à Theologis, maximè conducat fervor devotionis, ideo conatur minima quæque opera, præſertim ea, quæ ad divinum cultum pertinent, facere cum magno fervore & actuum intenſione; quod ei etiam Divina Majeſtas ab annis ferè 50. conceſſit, ut ſentiat in omnibus actionibus ſuis ferventem ardorem, etiam dum menſæ benedictionem & gratiarum actionem dicit, ut ſæpe opus ſit eum frœnare,

etiam dum per ambulacra ambulat, ſentiens quendam, loquendo ità, bullorem animi ex interna devotione provenientem, & quod ei ſæpe contingit, corpus à terra elevantem, & quaſi ad Cœlum volare volentem. Hoc ſcripſit ſemel pro ſemper alijs annis ea non repetiturus, quia ſperat ſe non fore deteriorem, ſiquidem per hos omnes annos, quos vixit in Societate ſingulari DEI beneficio, præſervatus eſt à tepiditate in obſequio DEI, & juxta incrementum ætatis, agnovit in ſe ſingulis annis notabile incrementum ſeu profectum in virtutibus, præſertim in puritate animi & corporis, in rebus ordinarijs meliùs faciendis, in crucis ſeu adverſitatum, & ſuorum adverſariorum amore, in unione cum DEO, & in ardenti ac inſatiabili deſiderio omnis poſſibilis perfectionis, ſi fieri poſſit, ultra Seraphinos ſe extenſuræ, quod & ardenter à DEO petit, & ſperat, & ſcit ſibi à DEO aliquoties promiſſum cum aſſecuratione de ſua prædeſtinatione, & de magna gloria, quam habiturus eſt poſt mortem, & de Sanctitate vitæ, in qua eſt moriturus. Vidit enim aliquoties ante annos triginta nomen ſuum & cognomen in libro Vitæ tanquam Sancti ſcriptum, ſibi à Chriſto Domino, præſente Patre & Spiritu Sancto, oſtenſo; quod Romæ & alibi examinatum fuit, & à moderno P. Generali Mutio, & ab alijs Viris Eximijs, illo id rogante, approbatum, tanquam vera DEI promiſſio, omnibus

illis

illis effectibus, qui ſunt ſigna certiſſima divinarum revelationum, ſtatim ſubſequentibus in gradu valde alto, confirmata, continuatis ſingulari DEI gratiâ uſque in hanc horam. Sed ille in nulla rerum iſtarum ſe fundat (tantùm excitatur per iſta) verùm ac ſi nihil horum habuiſſet, vel ſciret, ità ſe gerit, tum humiliando ſe infra omnes etiam dæmones, tum non fidendo ſibi, ſed timendo nè DEUM offendat, ideo & omnes occaſiones peccandi declinando, & in converſatione cum formoſis ità cautè, & cum oculorum cuſtodia ſe gerendo, acſi eſſet maximè propenſus ad carnis voluptates. Denique minima quæque ſervando juxta regulas, acſi nunc primùm DEO ſervire cæpiſſet cum oblivione præteritorum bonorum, ad anteriora & perfectiora ſe extendendo juxta regulas & Sanctorum præſcriptum.

Hæc *Ven. P. Nicolai* conſcientiæ ratio ſatìs Lectori, piè curioſo, oſtendet, quantus & quàm corroboratæ virtutis Vir ille fuerit; ex hoc anni unius ſpacio conjecturam facere licebit, de annis prioribus & ſequentibus; plura hujuſmodi in L. 2. & 3. adferentur. Ut vérò meliùs ea, quæ *Vener. Pater* commemorat, intelligantur; paucula ſubjiciemus claritatis causâ: eum cujus Glacij animam poſt mortem ſibi apparuiſſe narrat, ex libello devotionum comperi fuiſſe magnum illum & à Lyrica Poëſi laudatiſſimum Virum *P. Mathiam*

Casimirum Sarbievium. Ex ijs verò, quæ adfert de actuali omnium etiam passuum oblatione, confirmantur ea, quæ dixi superioribus capitibus, de actuali & continua DEI memoria, quòd scilicet non interruptè DEUM haberet præ oculis, & coram eo assiduè ambularet. De honoribus ei, ab omnibus Regni Poloniæ ordinibus habitis, superiùs testimonium attuli; hinc etiam patet, cur se in Bohemiam trahi permiserit, fuisse fugam honorum, & patientiæ, & humilitatis amorem: dicendum enim semel est, gravissima quæque *Ven. Patrem* passum esse, interpretationes sinistras factorum suorum, mille impedimenta eorum, quæ ad DEI gloriam designabat, rumores sparsos, quibus ejus fama, & Sanctitas elevabatur, & vilescebat; accusationes, calumnias ope mali dæmonis excitatas, aliáque omnis generis adversa. Cùm hoc ipso anno & sequenti, Svecus hostis impunè per hæreditarias Austriacæ Domûs Provincias arma circumferret, *P. Nicolaus* Belli in Boëmia ardentis occasione, in Poloniā remissus est. Abiens *V. Pater Nicolaus*, cùm me non amplius in hac vita visurum, valedicens affirmâsset, quandam schedulam abs se scriptam dedit in manus, quam sat multo tempore ad Crucifixi sui pedes affixerat, in qua cujusdam Viri gravis nomen legebam, cui *P. Nicolaus* tam teneris & amantibus verbis bona omnia precabatur, & viventi & mortuo, ut nihil posset esse

esse tenerius: offerebat pro ejus vita suam, promittebat æternum obsequium, æternum amorem, & alia ardentissimi affectûs & amoris verba; hanc ego schedulam diu inter secretiora mea scripta servatam circumtuli, posteà amico petenti donavi, quæ, ad quem, post ejus mortem, devenerit, scire non potui; at *P. Nicolaus* Pragâ abiens per Iglaviam & quædam Societatis Collegia, quæ in via occurrebant, Oppaviam tenuit, ibíque ultimo opusculo conscripto in Poloniam reversus est. In quibus deinde Collegijs, in Provincijs, Polonia & Litvania vixerit, incompertum mihi est. Anno 1642. Cracoviæ in Augusto & Septembri fuit: 1643. Vilnæ. 1645. Nesvisij. Deinde, ùt antè dixi, ad electionem *Adm. R. P. Generalis* Romam est profectus; post reditum An. 1646. Nesvisij consedit. Hostes Cosaccos deinde fugiens, qui magno numero in Litvaniam irruerant, An. 1650. Brunsbergæ commoratus est; & Varmiæ initio anni 1651. fuisse, ejus literæ ostendunt. Magnam tamen partem ultimæ ætatis exegisse in Litvania, & an. 1652. Caunæ beatè decessisse, primus vitæ ejus Author *Pater Casimirus Kojalowicz* scribit, quam ejus mortem, ex eodem memorabimus.



CAPUT XXII.

Morbus ſupremus Ven. P. Nicolai & feliciſſima mors, prout ipſemet vivens diſpoſuerat. ex P. Kojalovicz.

QUoniam ex edicto divinæ mentis Sapientia in exitu cernitur, graviſſimum virtutis teſtimonium mors piè ſanctéque obita eſſe debet. Hæc *P. Nicolao* ità obvenit, ut primùm graviſſimum diuturnúmque morbum præmiſerit. Certum eſt diu, multúmque à DEO Domino poſtulâſſe; ut, præter eximia Chriſti in morte imitandi motiva, pro ſpe quâ piacularibus flammis ſe vindicandum confidebat, in hac vita nævorum reliquias liceret gravi morbo expiare. Nec dubitandi ratio, an ſint conceſſa poſtulata, facilè occurrerit, cogitanti non ſolùm quàm gravia, ſed quo animo ante mortem tolerârit. Morbi initium Caunæ in Regia Urbe factum, quo oppreſſus, lecto non modò nõ progredi, ſed nè quidem corpus aut caput erigere, imò nec ſitum mutare toto penè ſemeſtri poterat. Dextro ergò lateri, continuò incumbenti, tabe gravi corporis partes aliæ exeſæ, aliæ adeò confectæ, ut pedes digitalibus vermibus ſcaterent, quos (adhibitâ primùm ex voluntate & charitate Superiorumdiligenti medicorum ſed in-

inutili curâ) deinceps abigi ex eorundem impetrata venia, nullo modo permisit, latè paritérque profundè tibijs perforatis, per quarum cavernas egredientes, ingredientésque læto semper & nullos dolores sentienti simili vultu spectabat. Auditus cum ijsdem placidè colloqui, & ut opus à DEO destinatum seriò exequerentur monere: visus etiam sponte corpus protendere, ut per lectulum diu volutatos ad se cruciandum reciperet invitarétque. Viri patientia neminem ex spectatoribus non attonitum dimisit. Lætus continuò vultus, modestúsque sermo, colloquia si ex charitate debebentur, cum Socijs ùt antè familiaria, cum Hospitibus amœna, è quorum numero unus professione artis medicus, fidei Lutheranus, patientiâ diu spectatâ, probatáque commotus tandem à se visum magnum JESUITAM, & magnum Sanctum palàm proclamavit. Alij intimâ æstimatione virtutis perculsi, sæpius ad usitatum patientiæ spectaculum regressi totâ Civitate causis admirationis divulgatis eam in sui affectûs imitationem rapuêre, ut nihil frequentiùs in Populo, quàm P. *Nicolai* nomen & encomia audirentur. Laudare alij divinam benignitatem, tanto servo suo civitatem donantem, vereri alij nè corpus defuncti aliò transferretur, alij ægroto per se aut amicos suorum negotiorum curas commendare. Ex his præcipuus inter Cives Dominus *Casimirus Zypla*, cùm de pe-

ſtis circumquaque graſſantis periculo ſolicitus coram *P. Nicolao* ageret, reſponſum accepit: Ab incendio priùs quàm peſte cavendum; quod mox ſecutum, potiſſimam Civitatis partem, & *Caſimiri* ædes abſumpſit. Parochus loci idémque Canonicus Cathedræ Vilnenſis *Adm. R.D. Nicolaus Slupsky* eo animo ægrum inviſens ut aliquid ex rebus ejus veluti ſacratis obtineret; cùm id animi Superiori, in ipſo januæ domûs ingreſſu, de pileolo *P. Nicolai* patefeciſſet, nemine prorſus voti conſcio, priùs tulit, quàm petere auderet, optata, *P. Nicolao* in ipſo aditu cubiculi eo munere hoſpitem præveniente. Quicquid temporis humanis officijs neceſſitate magìs illatis quàm voluntate adſcitis ſubtraxiſſet, totum divinis impendebat, mente perpetuò in DEO fixâ. Poſteaquàm ſibi ſoli relictus fuiſſet, pènè ſibi eripiebatur, invehebatur cœlis. Quæ potiſſimùm inter occultos animi ſenſus iterabat verba, fuêre illa diu antè præfixa: *Propter te, propter te, JESU & MARIA, hæc & plura patior, patiq; volo promptiſſimè: tum; omnia Deo JESU, tibi, JESU tibi*; ut non occultè pateret, affectibus vitâ imbutis immori homines. Invaleſcente ægritudine cùm vires deficerent, vocato domûs Superiore *P. Floriano Malevvsky*, primùm quidem ad explendam obedientiam ab *Adm. R. P. Generali* de revelandis donis ſibi à Domino conceſſis, impoſito, ſuo nomine ſignificari petijt, *P. Provinciali* ſe pro mi-

misericordia DEI, & certis promissis absque flammis purgatorijs transitum ad æternam beatitudinem sperare, peteréque ut suffragia *Societatis*, pro defunctis dici solita dicerentur pro existentibus in peccato mortali, & hæreticorum conversione: tum alia adjecit, quæ scripto concluserat, ex quo nonnulla huc transfero.

Rogo valde, ut ante agonem meum, in lecto meo intra cervicalia ponantur ea, quibus utebar, Biblia, & Constitutiones Societatis, & Concilium Tridentinum: Et præterea alter libellus manu meâ scriptus, & Sanguine meo subscriptus, devotiones meas personales continens, & circa finem habens vota quædam mea particularia meo sanguine scripta, ponatur supra pectus meum, hoc est subtus illam materiam, quâ jacentis tunc tegeretur corpus, si jacens moriar, si verò sedens, eximatur è sinistro sacculo vestis meæ, quâ induor, & ponatur intra locum pectoris supra cingulum, si vestitus agonizabo. Hos libros ità volo penes me habere moriens in protestationem irrevocabilem, quòd libenter moriar in fide S. R. Ecclesiæ & Societate JESU, & quòd omnes illos actus & devotiones meas in libellis meis partim meâ manu, partim alienâ ex meo originali descriptas, ratas habeam, & quantum licebit, mente eliciam, & in signum hujus voluntatis, & ratificationis, & iterationis ex nunc irrevocabiliter offero Sanctissimæ Trinitati, & respectivè Deiparæ Virgini, & omnibus Sanctis, o-

ſtis circumquaque graſſantis periculo ſolicitus coram *P. Nicolao* ageret, reſponſum accepit: Ab incendio priùs quàm peſte cavendum; quod mox ſecutum, potiſſimam Civitatis partem, & *Caſimiri* ædes abſumpſit. Parochus loci idémque Canonicus Cathedræ Vilnenſis *Adm. R.D. Nicolaus Slupsky* eo animo ægrum inviſens ut aliquid ex rebus ejus veluti ſacratis obtineret; cùm id animi Superiori, in ipſo januæ domûs ingreſſu, de pileolo P. *Nicolai* patefeciſſet, nemine prorſus voti conſcio, priùs tulit, quàm petere auderet, optata, *P. Nicolao* in ipſo aditu cubiculi eo munere hoſpitem præveniente. Quicquid temporis humanis officijs neceſſitate magìs illatis quàm voluntate adſcitis ſubtraxiſſet, totum divinis impendebat, mente perpetuò in DEO fixâ. Poſteaquàm ſibi ſoli relictus fuiſſet, pènè ſibi eripiebatur, invehebatur cœlis. Quæ potiſſimùm inter occultos animi ſenſus iterabat verba, fuêre illa diu antè præfixa: *Propter te, propter te, JESU & MARIA, hæc & plura patior, patiq; volo promptiſſimè: tum; omnia Deo JESU, tibi, JESU tibi*; ut non occultè pateret, affectibus vitâ imbutis immori homines. Invaleſcente ægritudine cùm vires deficerent, vocato domûs Superiore *P. Floriano Malevvsky*, primùm quidem ad explendam obedientiam ab *Adm. R. P. Generali* de revelandis donis ſibi à Domino conceſſis, impoſito, ſuo nomine ſignificari petijt, *P. Provinciali* ſe pro mi-

misericordia DEI, & certis promissis absque flammis purgatorijs transitum ad æternam beatitudinem sperare, peteréque ut suffragia *Societatis*, pro defunctis dici solita dicerentur pro existentibus in peccato mortali, & hæreticorum conversione: tum alia adjecit, quæ scripto concluserat, ex quo nonnulla huc transfero.

Rogo valde, ut ante agonem meum, in lecto meo intra cervicalia ponantur ea, quibus utebar, Biblia, & Constitutiones Societatis, & Concilium Tridentinum: Et præterea alter libellus manu meâ scriptus, & Sanguine meo subscriptus, devotiones meas personales continens, & circa finem habens vota quædam mea particularia meo sanguine scripta, ponatur supra pectus meum, hoc est subtus illam materiam, quâ jacentis tunc tegeretur corpus, si jacens moriar, si verò sedens, eximatur è sinistro sacculo vestis meæ, quâ induor, & ponatur intra locum pectoris supra cingulum, si vestitus agonizabo. Hos libros ità volo penes me habere moriens in protestationem irrevocabilem, quòd libenter moriar in fide S. R. Ecclesiæ & Societate JESU, & quòd omnes illos actus & devotiones meas in libellis meis partim meâ manu, partim alienâ ex meo originali descriptas, ratas habeam, & quantum licebit, mente eliciam, & in signum hujus voluntatis, & ratificationis, & iterationis ex nunc irrevocabiliter offero Sanctissimæ Trinitati, & respectivè Deiparæ Virgini, & omnibus Sanctis, o-

mnes motus corporis mei die mortis meæ futuros, præsertim omnes meas aspirationes, & ultimam animæ meæ exhalationem purissimè Domino DEO & Patri meo propter ipsum solum.

Plura deinde subjunxit, quæ circa suum corpus post mortem, & circa se in supremo agone fieri cupiebat, quæ ipsius mansvetudinis, modestiæ, humilitatis, castimoniæ, pietatis erga DEUM, sensum & studium abundè commonstrabant. Posteaquam omnia, quæ fieri ante obitum cupiebat, facta fuissent, sanctissimum quoque Christi corpus thecæ inclusum cubiculo illatum, toto ad adventum Domini ac hospitis optatissimi annitens conatu, posteaquàm hactenus alienis manibus linteamini involutus gestari semper debuit, viribus supremis, ad partem, ex qua perspicere posset divina illa involucra, se convertit, oculósque illis intentos toto triduo non dimisit. Quid felix ille animus agitaverit, homines ignorent necesse; vultu tamen, labijs, oculis, lacrymis eandem dulcedinem effundebat, quam ipse svavissimæque cantiones à fratribus impetratæ & intereà decantatæ significabant.

Denique ad videndum eum clarè, quem sub panis sacris tegumentis absconditum tam impensè colebat, egressurus humili capitis inclinatione Sanctissimã Eucharistiam veneratus, oculos mortales digitis occlusit: & manibus in formam cru-

cis

cis ante pectus compositis, quietissimè exspiravit. Constat etiam Superiore domûs auditore & teste, tribus continuis ante mortem noctibus cantu cœlesti spacia cubiculi, quò æger detinebatur, recreata: ut in tres quidem ordines Cantoribus divisis medius, & ùt videbatur, ex pauperibus collectus suavissimè præcineret: Religiosæ crediderim, pauperimæque ejus vitæ fautor & fortunati ad Superos transitûs Cultor.

CAPUT XXIII.

De nonnullis, quæ pòst mortem evenerunt, ejusdem R. P. Casimiri narratio.

FAmâ obitûs P. *Nicolai* per Civitatem sparsâ, ingens animorum motus secutus, multitudinéq; accurrentium domus pariter, ac templa repleta. Frustra etiam contrà nitentibus Socijs, congesta in pium tumulum Rosaria, icones, aliáque pietatis exercendæ instrumenta ab attactu corporis salutaria medicamenta haustura. Quod quidem tantò magìs mirandum fuit, quantò his partibus inusitatius, adeóque memoriâ sæculorum non visum. Neq; vulgus solum opinio virtutis obtinuit: verùm eâdem impulsus Jllustriss: Episcopus Vilnensis Georgius Tyszkewicz destinârat Vil-

nam

nam corpus transferre, locóque à communi ſepultura diſtincto condere: niſi tum Jlluſtriſſimi Principis Alberti Stanislai Radivilij, Magni Ducatûs Litvaniæ Cancellarij & Capitanei Caunenſis, tum Civium in P. *Nicolaum* ſacratior propenſio, Caunâ moveri prohibuiſſent. Nec pauca inde per illius merita divinam clementiam implorantibus conferri viſa beneficia, quibus ego quidem tantò minùs detrahere auſim, quantò plùs debeo ſemel ac iterum morbi periculis hâc ope vindicatus. Plus tamen ponderis tribuerim authoritati Jlluſtriſſimi Præſulis Alberti Thulibowsky Epiſcopi Poſnanienſis, quam meo experimento. Hic nempe graviſſimus Præſul datis literis Poſnaniâ 8. Aprilis An. ſalutis 1660. cùm ingens deſiderium Vitæ *P. Nicolai* evulgandæ explicaret, nonnulla prodigioſa, ſeipſo teſte & motore, facta ſubjecit. Rem ejuſdem ſenſu, è Polonico in latinum translato ſincerè trado.

Reverende in Chriſto Pater:

SIt DEUS benedictus, qui cor Reverentiæ Veſtræ excitavit: ad colligenda merita, & deſcribendam ſanctitatem vitæ pientiſſimi & verè Sancti *P. Nicolai Lancicij* de inclyta Societate JESU, ad magnum ſolatium fidelium, præſertim eorum, qui ſuſpiciunt & admirantur ſummas gratias, illi à DEO conceſſas; quorum è numero ego quoque

indi-

indigniſſimus cenſeri debeo, qui illum elegerim in neceſſitatibus pro ſingulari Patrono meo, & ardentiſſimè cupio, ut in ipſius miris factis glorificetur Sanctiſſima Trinitas, & totum Cœlum; rogóque, nè in tam ſancto ſcribendi propoſito deficiat: non evaſurus ſecus *vel tu*, vel qui *cauſa* fuerint, ultionem DEI. Interim reducat ſibi in memoriam Reverentia Veſtra illam ſchedam, quam à Reverentia Veſtra obtinui manu *P. Nicolai* deſcriptam, & revocationem Calviniſmi in adoleſcentia ejus factam, continentem. Hanc enim voluit DEUS teſtem meritorum ejus apud me inſtituere, quando per ejus contactum multi ex familia mea, qui graviſſimis febribus laborabant, & jam mori videbantur, repentè ſunt ſanati. In particulari; puella erat annorum quindecim ad Cœnobium Præmonſtratenſe Plociæ, non auditu tantùm & viſûs ſenſu præ morbi gravitate privata, ſed etiam tactu; ut cùm agitaretur, percuteretur, pungeretur, nihil prorſus ſentiret. Adiêre illam ſæpius Patres mei Præmonſtrati, obtulêre etiam pias cum Sacrificijs pro valetudine preces, nihil tamen adjumenti accepit. Perrexi tandem aliquot poſt dies ad eum locum ipſe, in quo quaſi mortua & deſperata ab omnibus jacebat, factáque invocatione Spiritûs Sancti in meritis pientiſſimi Patris implorando auxilium, chartulam in fronte decumbentis puellæ impoſui, quæ mox à meo diſceſſu

cessu post mediam circiter horam sana surrexit, hoc anxiè requirens: quis apud se ante mediam horam fuerit? In oppido pariter dicto *Siepre*, cùm Sacramentum Confirmationis administrarem, accessit mulier obsessa, quam malus viscerum hospes nullatenus confirmari sinebat. Imposui igitur illius capiti prædictam schedam; cujus occultâ vi compressa maligni spiritûs violentia, & mulier confirmata. Germanus natione, puer meus, in bonis meis Prauda nuncupatis gravissimo sæpius calculo enecabatur, imposita huic quoque scheda in fronte, éstque per DEI gratiam ad hoc usque tempus liber ab eo violento morbo. In ijsdem meis bonis uxor Vice-Capitanei mei gravissimè partu laborabat, ità ut fœtu mortuo enecari videretur, at applicatâ chartâ felici & ipsa convaluit, & partum vivum enixa. Connotabat singula P. Lucas Paprocki mihi tunc præsens de eadem Societate JESU, quæ, illo mortuo, fortassis leviter interière; ego autem multorum non recordor. Fide interim verâ & conscientiâ testor, talia esse facta spectantibus multis; & puto quòd Dominus DEUS faciet plura, ad declarandam sanctitatem servi sui. Hæc magnus Præsul Regníque Poloniæ Senator, quibus alij nonnulla juratâ Authorum fide adjecêre. Valebat extremè P. Paulus Laskowski, Societatis nostræ, Alumnorum Pontificiorum Seminario Vilnæ regendo tum Præfectus,

mox

mox Rector Collegij Societatis Plociæ: cùm, viribus ultimò deficientibus, mens improvisa subit *P. Nicolai Lancicij*, Patrísque Laurentij Bartilij, viri cum magna opinione perfectæ virtutis, paucis ante *P. Nicolaum* annis defuncti, opem invocandi. Iterum igitur atque iterum eædem voces congeminantur: *P. Nicolaë ora pro me, P. Laurenti ora pro me*, serie tandem unâ, eadémque verborum non servatâ, verùm ab omni præmeditatione vocibus sibi ità succedentibus, ut cùm prima oratione occurrisset primum nomen *P. Nicolai*; alterâ præponeretur nomen P. Laurentij, totáque oratio hâc vicissitudine constaret. Invocatum non frustra auxilium, probavit eventus, tum quidem periculo supremi morbi depulso, mox integrâ sanitate receptâ, eò jucundiore, quia ab illis in bonos Patres affectibus profecta, quorum vitam ùt omnes fatebantur multùm virtuosam, ità nôrant in modo agendi valde diversam. Pater enim Laurentius toto externo habitu severiorem disciplinam præferre visus, cùm *P. Nicolaus* hilariorem amaret virtutis cultum; & ille rigore legis sua suorúmque facta dirigere; hic charitatis svavitate plura temperare à multis judicatus. Concors tamen in utroque Religiosæ perfectionis conatus, animos pios conjunxerat: secundùm quos unita pariter merita eventus, quem narravi, probavit. Confirmavit eundem sensum duorum item Acade-

cessu post mediam circiter horam sana surrexit, hoc anxiè requirens: quis apud se ante mediam horam fuerit? In oppido pariter dicto *Sieprc*, cùm Sacramentum Confirmationis administrarem, accessit mulier obsessa, quam malus viscerum hospes nullatenus confirmari sinebat. Imposui igitur illius capiti prædictam schedam; cujus occultâ vi compressa maligni spiritûs violentia, & mulier confirmata. Germanus natione, puer meus, in bonis meis Prauda nuncupatis gravissimo sæpius calculo enecabatur, imposita huic quoque scheda in fronte, éstque per DEI gratiam ad hoc usque tempus liber ab eo violento morbo. In ijsdem meis bonis uxor Vice-Capitanei mei gravissimè partu laborabat, ità ut fœtu mortuo enecari videretur, at applicatâ chartâ felici & ipsa convaluit, & partum vivum enixa. Connotabat singula P. Lucas Paprocki mihi tunc præsens de eadem Societate JESU, quæ, illo mortuo, fortassis leviter interière; ego autem multorum non recordor. Fide interim verâ & conscientiâ testor, talia esse facta spectantibus multis; & puto quòd Dominus DEUS faciet plura, ad declarandam sanctitatem servi sui. Hæc magnus Præsul Regníque Poloniæ Senator, quibus alij nonnulla juratâ Authorum fide adjecère. Valebat extremè P. Paulus Laskowski, Societatis nostræ, Alumnorum Pontificiorum Seminario Vilnæ regendo tum Præfectus,

mox

mox Rector Collegij Societatis Plociæ: cùm, viribus ultimò deficientibus, mens improvisa subit *P. Nicolai Lancicij*, Patrísque Laurentij Bartilij, viri cum magna opinione perfectæ virtutis, paucis ante *P. Nicolaum* annis defuncti, opem invocandi. Iterum igitur atque iterum eædem voces congeminantur: *P. Nicolaë ora pro me, P. Laurenti ora pro me*, serie tandem unâ, eadémque verborum non servatâ, verùm ab omni præmeditatione vocibus sibi ità succedentibus, ut cùm prima oratione occurrisset primum nomen *P. Nicolai*; alterâ præponeretur nomen P. Laurentij, totáque oratio hâc vicissitudine constaret. Invocatum non frustra auxilium, probavit eventus, tum quidem periculo supremi morbi depulso, mox integrâ sanitate receptâ, eò jucundiore, quia ab illis in bonos Patres affectibus profecta, quorum vitam ùt omnes fatebantur multùm virtuosam, ità nôrant in modo agendi valde diversam. Pater enim Laurentius toto externo habitu severiorem disciplinam præferre visus, cùm *P. Nicolaus* hilariorem amaret virtutis cultum; & ille rigore legis sua suorúmque facta dirigere; hic charitatis svavitate plura temperare à multis judicatus. Concors tamen in utroque Religiosæ perfectionis conatus, animos pios conjunxerat: secundùm quos unita pariter merita eventus, quem narravi, probavit. Confirmavit eundem sensum duorum item Acade-

demiæ Vilnenſis Studioſorum nobilium valetudo reſtaurata, Stanislai Dowgialo & Wladislai Giedroyc. Horum prior graviſſimis capitis doloribus cuciatus, pijs reliquijs admotis, præter omnium ſpem, ægritudine levatus eſt. Alter febri tentatus, eâdem contra illam medicinâ uſurus, ut fiduciam ſuam magìs probaret: ſtatim à porrecto ſibi optato devotionis pharmaco, inter Sacra miniſtraturus acceſſit. Ecce verò in ipſo Miniſterij exordio, morbus ità invaleſcere, ut de progreſſu deſperare cogeret. Erigit tamen animum, & patrocinio tutelaris fiſus pergere decernit, eáq; animosâ fide & morbum ſtatim depellit, & reditum ei inpoſterum præcludit. Relata hæc ſinè mora loci ordinario Georgio Tyſzkewicz ad publicum evocabantur cum ſimilibus factis examen; ſed Moſchi perfidiâ bellum graviſſimum Litvaniæ illatum, boni Præſulis ſolidas curas expugnavit. Non defuêre intereà, qui ſe beneficio DEI rurſus per merita *P. Nicolai* jam à felici Societate P. Laurentij, invocatione ſolitariâ ſejuncti, tum ab hoſtium & latronum præſentibus periculis, tum à peſte 1653. graviſſimè per Litvaniam ſæviente, ſervatos faterentur. Inter hos merito majori obſtrictum Collegium Vilnenſe: intra quod cùm peſtis irrepens P. Cyprianum Bohuſz, ſocijs Præfectum corripuiſſet: tum extra Collegium in domo vicina P. Petrum Korzeniewsky, ac rurſum in

Col-

Collegio cocum communem, & famulum Apothecæ; tres noſtrûm reliqui, unus Sacerdos, duo autem Coadjutores temporales, actum de ſe concluſerunt, quòd communibus ædibus cibo & converſatione uſi communem contagionem contractam judicarent. Voto igitur ſe obſtringunt dicendi indies Litanias de Nomine Sacratiſſimo JESU in gratiarum actionem pro donis *P. Nicolao* à divina beneficentia conceſſis, alia quoque pietatis exercitia addunt, humiliter eidem divinæ bonitati ſupplicantes, ut ſe à præſenti periculo conſervatos dignaretur. Ab eo tempore nullus eorum, quos votum ſimul devinxerat, non ſolùm vivis ereptus, ſed neque morbo tactus, præter Fratrem Joannem Amſzynk, Apothecæ Collegij Præfectum, qui inſperato omnino eventu in malum lapſus, majori cum æſtimatione *P. Nicolai*, illud ſuperavit. Hic enim cùm tædio funeſtorum mortis circumquaque graſſantis ſpectaculorum victus, è Collegio ad prædium, in quo Collegij Præſes cum aliquibus degebat, ſe recepiſſet, poſt exactas primùm ſub levi tecto & aperto campo periclitantium à lue ferias: poſt communem inde cum Socijs domum, graviſſimâ ac ſubitâ inter medium prandium ægritudine eſt correptus: quam non aliam eſſe à peſte ipſemet artis medicæ non omnino imperitus, & experientiæ veteris ac recentis præceptis imbutus, ſuffragio quoque ſignorum, illâ

lue morientibus familiarium, decrevit. Dissimulavit nihilominus omnem metum Superior, quousque post noctem pessimè actam, altero veniente die, ab ægro, ad animum sacra Confessione ultimò expiandum, advocaretur. Venit, sed cùm æger aures peteret, motu illo occulto actus, argumentíque similis non mortem sed sanitatem debere cogitari, respondit. Agi scilicet de gloria DEI, & æstimatione *P. Nicolai*, cujus precibus se à peste vindicatum toties, atque coram tam multis testatus esset. Pergeret itaque sub Obedientiæ veluti præcepto apud eundem *P. Nicolaum* instare, ut cæpta perficeret, & rem tanti momenti fabulæ nō daret. Obeditum salubriter. Vix enim Superiore egresso dimidium horæ spacium, (lacrymis suspirantis, altéque ingeminantis: *Pater Lancici, obedientiâ pressus rogo, perfice quod cœpisti,*) effluxit, quando meliùs valere cœpit, eadémque nocte ità sanus factus, ut nè vestigia morbi apparerent, nullúsq; ullo periculo ex convictu afflaretur. In Belgio quoq; P. Marcus Grabenius, ex Litvania ab hoste profugus, post sumptum Medici decreto viaticum, & editum in gratiarum actionem pro meritis *P. Lancicij* votum somno facilè correptus, tertiâ à pia devotione horâ sanus evigilavit, & beneficium acceptum magis commendaturus, aut cum alijs divisurus, Croatam militem ob viscera effusa, quæ restitui in suum locum non poterant,

de

de vita desperantem *P. Lancicij* digito, quem secum tulerat, applicato curavit. Contigit utrumq; An. 1656. primum Tornaci, alterum in castris Belgicis Leopoldi Archiducis Austriæ. Iter agenti P. Stanislao Kiewlicz S. J. Sacerdoti, equi noctu pe-rierant: nec dimissis post confinia locorum diligentibus vestigatoribus casus, fráusque adverti poterant. Ad *P.* igitur *Lancicium* oratione & fiduciâ conversus ex hospitio in campum meditabundus procedit: & mox à tergo stabuli, in quo illi disparuerant, trunco alligatos invenit. Non magìs inde gaudere quàm mirari debuit, quis equos, noctu subductos, tam vicinæ arbori alligârit? aut quo modo in campo aperto & loco proximo circumcursantium vestigatorum oculis non incurrissent. Nec est, quod decernam, nisi ut reliquis etiam silentio interea pressis laudem DEUM Dominum mirabilem in servis suis & Sanctum in omnibus operibus suis.

Obijt P. Nicolaus die 30. Martij, Dom. Passionis, horis meridianis, An. Sal. 1652. ætatis 78. expleto.

Hæc P Casimirus Kojalovvicz, cujus verbis, nè uno quidem mutato, mortem Ven. P. Nicolai, & ea, quæ post mortem acciderunt, duobus proximis Capitibus descripsi, ut syncerior esset narratio, utpotè ab eo, qui hæc omnia videbat ex proximo, cùm ego procul à loco mortis abessem:

Pluris enim est, ait Poëta, *oculatus testis unus, quàm auriti decem.*

O. A. M. D. G.



De Vita & Virtutibus VENERABILIS PATRIS NICOLAI LANCICII SOCIETATIS JESU,

LIBER II.

Qui exempla Virtutum continet.



Bſolvimus præcipua Ven. P. NICOLAI geſta temporibus ſuis diviſa & conſignata, reſtant alia plura, & miranda magìs, quæ de ejus Virtutibus, ab idoneis & oculatis Teſtibus, accepi, atque etiam ipſe vidi, ac notavi. Itaque exemplo omnium, qui ante me res geſtas Magnorum, & Sanctitatis famâ Jlluſtrium Virorum ſcripſerunt, præſentem Secundum Librum, Virtutibus ejus referendis deſtinavi; in quibus tam multa ſe offerunt, ut Scriptoris manum fatigare poſſint, ſi omnia referantur, nam, ùt bene de eo primus VitæScriptor teſtatur: *Quod ſcripſit Pater NI-*

NICOLAUS, hoc vixit; ſignificare ſcilicet voluit: ea omnia, quæ tot libris de virtutibus complexus eſt Pater, in ſe priùs conatum exprimere; neque mirum ulli eſſe debet, tot virtutibus animam ejus exornâſſe DEUM, qui omnibus momentis penderet à Cœlo, illúdque ad divinos ſatus ei ſemper pateret. Unde, ùt ipſemet Majoribus ſuis ingenuè faſſus eſt, annum cum anno conferens, menſem cum menſe, diem cum die, ſemper ſe in virtute proficere ſentiebat, erátque anima illius (quod de anima cujuſque Juſti Divus Ambroſius in Hexamero docuit) velut Paradiſus, quatuor capitibus fluminum irriguus, qui arboribus, divinis fructibus oneratis, ſemper abundaret; ut in ejus anima cœleſtis Sponſus meridiari, & auram ſuaviſſimam deambulando captare poſſet inter flores odoratiſſimos variarum virtutum.

CAPUT I.

Studium humilitatis, & abjectio ſui.

I. INcipiamus à Chriſtianorum propria virtute, cujus etiam nomen ignorârunt Ethnici, Humilitate & animi demiſſione, quam ità in animum altè demiſerat Ven. Pater, ut arbitris conſcientiæ, & vitæ ſuæ Moderatoribus fateretur:

nunquam se inanis gloriæ dulcedine, (quod in hac virtute summum est) ab annis quadraginta, & ampliùs titillatum fuisse. Mirabatur esse aliquos, qui sibi de cœlestibus donis, aliisque à DEO datis muneribus blandirentur, juxta illam *Divi Pauli* sententiam: *Si accepisti, quid gloriaris?* majus onus ex donis DEI impositum sibi arbitrabatur. Agnoscebat ille in se quidem præclara DEI dona, sed ijs non efferebatur, similémque se jumento aut asello clitellario, dicebat, qui thesaurum & gemmas pretiosissimas deferret Domino, quas neque comparâsset asellus, & non nisi stultissimè sibi posset vendicare, etsi ratione uteretur.

II. Quia verò maximum consequendæ hujus virtutis impedimentum objicere solet Amor proprius, quo efficitur, ut mens nostra caliget, imò quodammodò cæca in rebus suis reddatur, ad hunc expugnandum & eradicandum penitus, jam inde à principio Religiosæ vitæ, totum sese convertit. Ergo accedente Superiorum consensu totius vitæ suæ nævos, magnos & parvos, & quidquid pudorem incutere poterat, post gravem animi luctam, (cùm accusatio sui publica & aperta tam difficilis juveni videretur, quasi vitæ & omnium bonorum jactura subeunda esset) scripto comprehendit, paratus in publica mensa omnibus præsentibus ad contemptum sui recitare de scripto.

Qua

Qua in re Majores bono juveni, ut virtutis materiam darent, velificati ſunt, ſed cùm ad rem ventum eſſet, ſilere eum juſſerunt. Ità victoriam ſui adeptus eſt Nicolaus, & tamen ſi quid timeri infamiæ apud ſocios poterat, evitavit. At Divina Majeſtas, quæ non facta, ſed corda intuetur, heroicæ huic præparationi ingens adjecit præmium. Ab illo enim tempore, ſecuta eſt in animo quies, & in contemptu ſui lætitia, deſiderium crucis, rerum humanarum faſtidium, & denique omnis humanæ gloriæ abjectio; dicebátque poſteà Senex: ſi ſibi optio detur alterutrum, vel laudes ſuas, vel peccata narrandi, gravius ſibi illud futurum, & majorem pudorem ex virtutibus, ſeu potiùs ex donis DEI (virtutes enim ſuas non agnoſcebat) ſibi obventurum.

III. Ideo vitæ ſpiritualis Tyronibus quàm maximè commendare ſolebat, honoris, & bonæ apud alios exiſtimationis mortificationem, ùt Viri Religioſi loquuntur. Monebat nos, ut quotidiè victoriam aliquam de nobis, & de amore proprio quæramus, animabat ad publicè manifeſtandos defectus, eos maximè, quos occultos cuperemus. Mihi ſæpius imperavit adhuc Adoleſcenti, ut ad templum irem, quódque difficillimum mihi videbatur, homines ſalutarem, manu ad os relatâ, prono capite, aliiſque reverentiæ exterioris ſignis; ex quo tanto pudore afficiebar, ut vix, quid agerem,

præ pudore nôssem, cùm crederem me pro stulto apud omnes habendum. Cùm Collegium Olomucense inalbaretur, in infimo ambitu ad portam jubebat me Artificibus operam dare, ipse pallium tenebat, at ego Academicis omnibus spectantibus setaceis scopis in fidelia intinctis parietes, ùt scire poteram, inalbabam, magno Condiscipulorum risu, neque minore meo pudore; quem laborem centies omisissem fugiendo, nisi Senem me continenter adhortantem, & animantem ad latus habuissem. Ad Senem revertor: votum etiam ediderat, nihil unquam quod ad laudem suam faceret proferendi; sed id ei votum Majores, quòd crederent eo turbari conscientiam posse, sustulerunt; at ille perpetuis actibus humilitatis quodammodò immersus, cùm necessitas, aut proximi utilitas, aut obedientia svaderent, quædam sua dona interdum manifestabat, sed eo candore, eâ simplicitate verborum & gestûs, quasi vilissima quæque, qualia sunt comedisse, ambulâsse, vel aliud quodcunque opus commune abs se factum narraret.

IV. Jllud etiam in vitæ Religiosæ principijs perpetuò tenebat, ut semper peccatorum suorum & vitiorum memoriâ mentem occuparet, itáque annis multis viæ Purgativæ intentus, altiores, ut Jlluminativam & Unitivam non facilè sectabatur, eradicandis penitus vitijs intentus. Credebat enim utilius sibi esse alta non sapere, sed humilibus

con-

consentire. Monitus tandem à conscientiæ arbitris vix induci potuit, ut ad sublimiora eniteretur. Suam vilitatem frequenter animo volvens, etsi speraret cœleste à DEO præmium, tamen ex humilitate credebat nullam injuriam fore, si felicitate æternâ privaretur, satísque sibi à DEO factum, pro omnibus totius vitæ laboribus dicebat, quòd Divina Majestas vel unam cœlestem cogitationem inspirâsset. Timebat vehementer, nè divinis muneribus ingratum se præberet, vel ijsdem abuteretur; unde in Sacrificio Missæ sæpius DEUM alloquebatur: *Domine propter te, tuíque Sanctissimi Nominis gloriam, hoc vel illud peto; at tu si vides me ad petendum, aut inanis gloriæ, aut amoris proprij, aut spiritu elationis, & instinctu malo moveri, nihil concedere velis, imò in pœnam, etiam illis me spolia, quæ hactenus tam misericorditer contulisti.*

V. Sæpe in die precabatur DEUM, ut in hac vita omni, quo fieri posset, modo humiliaretur, pro nihilo reputaretur, & in sinistra aliorum opinione versaretur, assiduè, ùt ingratus DEO, indignus omnibus humanis & divinis gratijs, denique sibi & alijs inutilis haberetur; neque tantùm in hac vita, sed in altera etiam nesciretur, ac nè nominaretur quidem; verba ejus ex secreto libello recitabo: *Si me ô DEUS ex infinitis meritis Filij tui in cœlum introducere vis, paratus sum ibi carere gaudijs, quibus cœlum est plenum: sim ibi in statu ultimo, vel*

tanquam fixa & ſtabilis quædam columna, in qua à Sanctis nîl agnoſcatur boni, ſed tantùm peccata mea commiſſa in ſæculo & Religione negligentiæ defectus, & imperfectiones à te toleratæ: ut ità etiam in Cœlo opinione Sanctorum omnium ſim infimus, qui in hac vita toties à te poſtulavi pro minimo haberi. Memini ab eo audîſſe me; ſi ex DEI gratia ad cœlum admittatur, in primo ad Divinam Majeſtatem acceſſu, omni honoris & cultûs Divini ſignificatione præmiſsà, inſtantiſſimè ſupplicaturum, ut ſui in terris nulla ſuperſit memoria; ſed perinde ùt in terris multa eum contigiſſet pati, ità in Cœlos etiam receptus, contemneretur, vileſceret, vituperaretur, & ſuos oblocutores haberet. Addebat ſe ſperare poſt ſuam mortem ſatìs longo tempore nihil de ſua vita proditurum in lucem, ídque ſe DEI auxilio effecturum, ut diu de ſuo nomine paucis conſtaret; *Ut*, inquit, *hac ratone Dominum meum JESUM contemptum & illuſum etiam in Cœlo contemptu mei imitari poſſim.* Hoc à DEO in ſacro Miſſæ Sacrificio petebat quotidie, & votum ſuum proprio ſangvine ſubſcripſit, ùt qui vidêre chirographum, teſtantur.

VI. Viliſſimam de ſe opinionem alebat Pater, & quamvìs multos audîſſet peccatis gravibus onuſtos, omnibus ſe deteriorem ſentiebat, neque in hoc judicio falli ſe, aut decipi putabat. Dicebat cùm ad ſacrificandum accederet, omnes dæmones

nes ſe capite ferre, eo id ſenſu intelligens, quòd ſe ijs humilitate ſubſterneret: Itaque ſi ab ijs infeſtaretur, ſic eos alloquebatur: *Quid vobis & mihi? impar reſiſtendo ſum (ſi divina ſcilicet abſit gratia) agnoſco vos creaturas fortiores, ingenioſiores, digniores, meliores, licèt feliciorem me non ignorem; quòd vobis quidem ſurgendi à veſtro caſu adempta poteſtas ſit, mihi poſt majora peccata, & venia, & præmium reſervetur.* De ea re ſic loquitur in libello MM. SS. affectuum ſuorum quotidianorum: *Subſterno me amore tui Domine, damnatis omnibus tanquam pavimentum inferni, & in eo dæmones, ac damnatorum omnes, ſupra caput meum colloco! infra horum omnium pedes abjicio me in imum inferni centrum.* Dum per Collegij ambitus inambularet, & Socij inobſervati ex aliquo angulo, quid ageret, curioſè explorarent, teſtantur audijſſe ſe ingemiſcentem: *Domine, non ſum dignus per pavimentum hoc incedere, quod ſervi tui meliores me inambulant; Utinam ego pavimentum quoddam fiam, quod ab illis conculcetur, atteratur, conſpuatur!* Scribit P. Godefridus Schubertus S. I. (vir laudatæ virtutis, Eccleſiaſtes Pragæ in Profeſſorum Domo celebratiſſimus, qui moriens de P. Lancicij virtutibus & ſanctimonia, quædam à ſe viſa, & ab ipſo Patre audita ſcripto complexus eſt, quæ inter manus meas ſunt) ſcribit, inquam, cùm P. Lancicio Iglaviæ cohabitaret, veniſſe ſe tacitè

ad

ad cubiculi januam, & per rimas oſtij, quid ageret ſenex, curioſè exploráſſe, vidiſséque Patrem graviſſimis verberibus pugnorum verberâſſe vultum, colaphos ſinè numero impingentem; tum ſe leniter pulſato cubiculo ingreſſum, & quem ità colaphis cæderet quæſiviſſe, *diabolum excipio pugnis*, reſpondit Senex; quæſivit iterum P. Godefridus: *Quod illi diabolo nomen?* Nicolaus Lancicius, reſpondit, *diabolus vocatur.*

VII. Unde nō mirum ſi etiam beſtijs viliorem ſe aſſereret, qui damnatos & dæmones ſibi anteferebat. Animalium cæterorum laudabat promptitudinem, illa eſſe, quæ Creatori ſuo ſemper obſecundarent, nuſquam adverſarentur, neque ullo ſcelere contaminarentur,tum in ſe verſus ſuam infelicitatem damnabat,qui tot divinis beneficijs inſuper habitis, & contemptis, tot crimina (ùt ſentiebat) ingratus perpetrâſſet. Solebat Civitatis Vilnenſis imaginem ſemper ſecum deferre inciſam æri, quocunque pergeret, quam parieti affigebat, cúmque An. 1641. ex eo quæreret P. Godefridus, quid ſibi imago vellet? vehementi ſpiritûs impetu, quo in ejuſmodi rebus ferebatur, imaginem arripuit, Scholas Calviniſticas Vilnenſes oſtendens, quas olim puer frequentaverat; tum ſubjecit: *En, me hominem nequam, ex hiſce Scholis immenſa & infinita JESU bonitas in ſuam Societatem pertraxit! canis eram, & jam tot annis inter*

filios

filios DEI vivo! ſimul lacrymæ copioſæ per vultum defluentes vocem ſenis interceperunt.

VIII. Nunquam audivimus ex ejus ore verbum prodîſſe, quo aliquem hominem contemnere videretur, laudabat aliena conſilia & facta, vero & non ſimulato vultu, alienas actiones, etiam contra ſe factas in bonā partem vertebat; & cùm quidam, ùt vocamus, politici noxia ſvaderent, ſequebatur conſilium, etiamſi inde nihil niſi odium reportaret. Conſectarium fuit, ut bene interpretaretur omnia, monebátque ſæpe juventutem Religioſam, abſtineremus à ferendis judicijs alienorum factorum, & dictorum, multum id conferre ad humilitatis virtutem, ſi ſocios omnes bonos eſſe, cum virtute omnia agere, etſi imperfectio notaretur in opere, animo tamen DEO eſſe ſincerè deditos cogitemus; ità futurum, ut nihil temerè de alienis defectibus deferamus, noſtris tantùm vitijs cognoſcendis, & corrigendis occupati; quod ipſemet *P. Nicolaus* religioſiſſimè obſervabat; in arcano ejus libello hæc legimus: *Nunquam totâ vitâ meâ fui ſcandalizatus in ullo, ſed omnia bene interpretabar & compatiebar.*

IX. Nullum ad ſe venientem faſtidiosè rejiciebat, quærebat pro colloquio familiari Patres & Fratres, qui minimum gratiæ & authoritátis apud cæteros haberent, vitatis ijs, ex quorum docta & nobili converſatione authoritatem ſibi parare poterat.

terat. Audivi Virum magnum, qui istud coram me ei vitio dabat: at ille aliud nihil respondit, quàm illud divinum: *cum simplicibus sermocinatio ejus*. Petebat interdum casuum conscientiæ resolutiones à Theologis adhuc discentibus, consilia etiam à Laicis exquirebat, laudabat, sequebatur, agebátque gratias cùm dedissent. Domesticos omnes obvios usque ad ætatem ultimam præveniebat honore, caput primus aperiebat, eóque detecto neminem secum loqui sustinebat, etiam cùm Rectoris aut Provincialis munus gereret: decedebat viâ, ut commodiorem viam tenerent; quòd si Superiorum aliquis obvius fieret, consistebat Pater reverenter capite aperto salutans, dum transirent. Sæpe ambulationem per domum instituebat, cùm necessaria illi esset à studijs quies, totúmque illud iter in affectibus humilitatis consumebat, loca ab alijs calcari solita devenerans & salutans (ùt jam L. 1. dixi) mille interioribus osculis, indignum se illam terram attingere, quam & Sanctorum pedes calcâssent, protestans; ipsa etiam sedilia aliorum quasi sessione consecrata, cum gustu intimæ devotionis omnes meliores se, nullo prorsus excepto, propter DEUM reputans, quibus paratus esset, omnia mediastini munera in omnem vitam præstare, id sibi pro omni solatio futurum. Quod de tegendo capite coram se socijs præcipiebat, ajebat se S. P. nostri Ignatij exemplo

plo facere, ùt in MM. SS. Archivi Romani legiſſet; quoties adiretur, ſellâ protinùs aſſurgebat, & vultu amabili ad januam cubiculi occurrebat, pileolô capite detractô ſalutabat. Quoties verò venerationis causâ pileum capiti non apponerent, & moniti apponere nollent, poſt preces iteratas ſi nihil proficeret Pater, ipſe etiam aperto capite ſtabat, & ferè, ùt loquimur, ſicciùs eos dimittebat, quaſi læſus illo honore fuiſſet. Si qui ejus ſe precibus commendarent, & in ijs multum ſe repoſitum habere dicerent, ſubjiciebat, in ſe quidem nihil ſpei reponerent, ſed clementiam DEI attenderent, qui vota ſuorum filiorum libentiſſimè exaudiret; ſi adhuc magìs ejus preces implorarent, cum quadam impatientia reſpondebat: *Exiſtimare ſe nihil adhuc DEUM intuitu precum ſuarum, cuiquam aut humani aut divini tribuiſſe; unde non ſatis accommodatè ſuas preces imploraret.* In beneficijs divinis exorandis, ſi quid tamen obtentum à ſe alij dicerent, id vel caſui cuidam, vel ſi caſui res imputari non poſſet, divinæ beneficentiæ adſcribebat, ſe reputans ùt fimum, quo agri lætantur, & fæcundantur: malè autem fæcunditatem meſſium uni fimo adſcribi, cùm bono ſemini in terram jacto, & cœlo faventi, & denique naturæ & telluris bonitati attribuenda ſint omnia.

X. Hoc humilitatis ſtudio in rebus arduis aggrediendis maximè ſe adjuvari profitebatur: dicebat, ad

ad res arduas & difficiles aggrediendas neminem magìs esse comparatum, quàm humilem, & de sua virtute parum aut nihil sentientem: quippe solius DEI auxilio nixum, multam acquirere inde confidentiam; DEUM autem sperantes in se non deserere, vires addere, & quò spes magìs excreverit, eò majora & certiora auxilia suppeditare. Huc quadam ratione spectare videtur monitum, quod mihi ac cæteris dedit, si quando à spectris dæmonum infestaremur: ajebat enim, si quando terribiles illæ visu formæ occursarent, actu demissionis & vilitatis propriæ præmisso, & spe in DEUM fixâ, arripiendum esse quidvis obvium (etiam calceos & crepidam nominavit) & adversùs dæmonem eundum; non posse eum ferre sui contemptum (quod sibi compertum esset) protinus se in fugam daturum.

XI. In socijs omnibus, prout regula præcipit, intuebatur Christum, & quidem in Sacerdotibus, Christum ùt Sacerdotem sibi occurrentem reverebatur; & si paulò antè Sacrum fecissent, in eorum pectoribus Christum adorabat; in Scholasticis nostris Christum in domo sui Nutricij Josephi adhuc habitantem honorabat; in Theologis & Majoribus Christum imaginabatur, ùt jam ad prædicationem sese accingentem, & jamjam in messem animarum iturum; Tyrones verò, quos usitatâ sibi voce, *parvulos fratres* vocabat, si ad se venissent,

ſent, jubebat continuò caput operire, in ſede altiori collocabat, ipſe detecto capite humiliorem occupabat locum, ùt Angelos audiebat, ſibi verò in illis Chriſtum repræſentabat infantem. Eandem reverentiam abeuntibus exhibebat, comitabatur capite nudo id ætatis Senex, Scholaſticos quidem uſque ad limen cubiculi, Sacerdotes etiam ultra limen, Superiores ad notabilem ambitûs partem ſequebatur, & magnâ reverentiæ ſignificatione dimittebat. Hujus erga ſocios reverentiæ & charitatis initium in commoratione prima Romæ ſua fecit Ven. Pater, cujus verba ſubjicio: *Quoties*, inquiebat, *video è noſtris aliquem obvium, penè totus diſſilio corde, recogitans me videre Socium JESU, ad ejus vitam ſe conformantem, ſolétque mihi venire in mentem primæ commorationis Romanæ, quæ mihi ſtatum Beatorum in Cœlis adumbrare videbatur*; ob eam cauſam raro mentionem Romani Tyrocinij facere poterat, quin ex ſpiritûs dulcedine ubertim fleret, retulítque eam commorationem inter majora DEI in ſe beneficia. Referam ipſa Patris verba ex libello ſecreto, quibus quotidie DEO poſt Miſſam gratias agebat: *Gratias tibi ago æterne & immortalis DEUS, pro prima mea Romana commoratione, quæ mihi in domeſtica Patrum & Fratrum converſatione, vitam adumbravit te clarè videntium Beatorum. Tu ſcis Domine, quid tunc viderim, audiverim, & in corde meo ſen-*

 ſerim,

ſerim, quod etiam revocatum in memoriam, movet ad te viſcera mea, & recreat me inenarrabili gaudio tuo, & excitat ad amorem puriſſimum ſanctæ illius Societatis, plenæ adeò inſignibus gratiæ donis, & Angelicâ converſatione.

XII. Pluribus ante mortem ſuam annis, cùm adhuc viribus corporis & animi polleret & prudentiæ in regendis Collegijs & Provincijs laude commendaretur, omni ope conniſus eſt, nè unquam in poſterum Socijs præficeretur regendis, ídque impetravit ab Adm. R. P. N. Mutio Vitelleſco. Semel iterúmque in duabus Univerſitatibus Cancellarij munus humilitatis ſtudio recuſavit admittere. Poſt obita munia Societatis ampliſſima non indecorum ſibi putâſſet Scholas parvulorum docere, piáque & ſanctâ invidiâ tangebatur, cùm Magiſtros ad Scholas euntes aſpiceret, ídque ipſum confirmat in literis An. 1642. ſcriptis in hæc verba: *Ego ſi aptus eſſem, nunc vel in hac ætate mea, offerrem me Superioribus pro Scholis. Huic hominum generi* (de Magiſtris loquitur) *in Societate ſemper invidi: videbam enim, quòd Magiſtri meliorem, & quotidianam magis, quàm Confeſſarij vel Concionatores, occaſionem haberent imbuendi animas timore DEI: animæ enim, quas quærunt Concionatores vel Confeſſarij, magis impeditæ, & minùs DEI capaces ſunt, quàm Juvenum vel Parvulorum.* hæc ille.

CA-

CAPUT II.

Continua DEI memoria, & singulare donum Orationis.

I.

Cùm *Ven. P. Nicolaus* (ùt Lib. I. probatum eſt) ſemper in conſpectu DEI ambulaverit, & continuam DEI memoriam circumtulerit, iterando has vel ſimiles voces: *Propter te Domine &c.* nihil mirum eſt, ſi eum orationi deditiſſimum fuiſſe aſſeramus: orationes enim, quas *jaculatorias* dicimus, ſunt velut quædam aureæ & magneticæ catenæ, quæ animam DEO inſeparabiliter conjungunt; ſunt ſagittæ, quæ, ùt ajebat *Beata Maria Magdalena de Pazzis*, cor Verbi configunt, & nobis aperiunt; ſunt neceſſariæ amantibus DEUM reſpirationes; de quibus myſtico ſenſu illud Davidis intelligendum: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.*

II. Oratione mentali plùs quàm vocali tenebatur, quam nulla diſtractio ſeu evagatio mentis interpolabat. Ab Annis continuis quinquaginta, poſtquàm deſolatio illa initio Religionis ſuſceptæ, de qua diximus, evanuit, ſummam voluptatem in orando DEO, & nullum unquam tœdium ſenſit; omne tempus orationi aptiſſimum ſibi eſſe

dicebat, poſt graviſſima negotia mentem ad DEUM convertere, facillimum experiebatur, ſummâ veneratione corporis & animi, plerumque mendici perſonam agendo, gratiam, & alia dona cœleſtia & auxilia mendicabat. Si mentem haberet à ſtudijs, & curis fatigatam, oratione, utì alij honeſtis & dulcibus Amicorum colloquijs, mentem recreabat, & validiorem referebat; imò recreationis & neceſſariæ quietis loco orationem aſſumebat.

III. Si ad locum veniſſet, ubi orationis rarus eſſet honor & uſus, ſtudioſiùs orationi vacabat, ut laudis divinæ neglectum aliquatenùs compenſaret; idem faciebat cùm ſocios videret ad amœna camporum, aliáſque recreationes abeuntes, tum enim pro ijs DEUM laudare, & impenſiùs ſpiritualibus exercitijs vacare ſolebat, & plerumque unam adhuc horam poſt recreationis pomeridianæ tempus expendebat orando.

IV. Præter tempora orationi mentali deſtinata, orationibus, ùt antè dixi, jaculatorijs, cùm à labore ſcribendi ceſsâſſet, totum reliquum tempus dabat, aſſiduè precatorios globulos manu verſans, & congruos affectus temporibus ſacris repetens, quorum verba in opuſculo de oratione ipſemet retulit; monebat, ut non anxiè numerus oratiuncularum iſtiuſmodi ineatur, ſed uſitato, quod vocamus *Beatæ Virginis* roſario, circumſcribantur,

tur, v. g. *fiat voluntas tua dulcissime JESU*, semel vel iterum repetendo decurratur corona, mox aliam assumebat sententiam, ex: gr: suum illud, *propter te Domine*, repetens, vel *omnia DEO*, quibus vocibus repetendis, ùt Lib. 1. diximus, immortuus est; & quidem cùm diceret *propter te*, non per modum syllabæ tantùm, sed & per modum literæ accipiebat: per syllabam *te* DEUM compellando, per literam *T*, Trinitatis memoriam invocando, eámque adorando. Parva hæc cuipiam videbuntur, qui nescit, nihil esse parvum in amore, DEúmque affectum spectare non censum, & aures ejus divinas cordi Sanctorum applicari. Frequentissimè hoc nomen DEUS repetebat, & eâ unicâ voce (quod perfectissimum est orationis genus in *Divo Francisco Seraphico* comprobatum, cùm *DEUS meus, & omnia* totâ nocte repetivisset) longissima orandi tempora implebat, aliàs miro spiritûs gaudio ingeminabat: *ó pulchra æternitas*!

V. Hæc corona multos ad tranquillitatem, & serenitatem adduxit, & svavissimè motus, qui animam turbabant, composuit, ùt experientiâ multorum cognitum est. Hâc ratione pij alij affectus iterari possunt, ùt gratiarum actionis, divinæ laudis, vocationis, auxilij cœlestis, doloris de offenso DEO, invitationis ad eum laudandum &c. quorum affectuum verba ex sacris literis, potissimùm ex Psalmis sumere solebat, ideóque coronam preca-

toriam ferè ſemper gerebat in manu, velut admonitorem uſitatæ pietatis; quibus autem ſertũ illud globulorũ geſtare nimis affectata pietas videretur, ùt externis hominibus &c. ijs Author erat, ut ad motus aliarum rerum v. g. cinguli, nodorum in veſte, & ſimilium aſpirationes illas in die ſæpius iterarent.

VI. Dividebat autem *P. Nicolaus* in certas claſſes oratiunculas háſce ſuas, ut ità dicam, extemporales, ac primâ quidem menſis hebdomade de peccatis ſuo & peccantium nomine dolebat, vel memoriam judicij ſupremi, & inferorum ſupplicia pro ſe, & pro hærentibus in peccato mortali deprecabatur; ſecundâ gratias pro beneficijs agebat; tertiâ Chriſti Redemptoris dolores acerbiſſimos, & mortem recolebat; quartâ Cœli deſiderium, contemptionem rerum caducarum, amorem DEI & unionem cum illo optabat, juxta quatuor *S. P. Noſtri* hebdomadas, quas in exercitijs ſpiritualibus præſcripſit.

VII. Cùm hos affectus cor *Ven. P. Nicolai* velut imbibiſſet, & in numerato haberet, præparatione diligenti præmiſsâ, non mirum eſt benigniſſimum Dominum ſingulare orandi donum Viro contuliſſe, ut in Ratione Conſcientiæ Majoribus facta, humiliter fateretur ſe jam annis quinquaginta novem, à prima Religioſæ vitæ ætate, nullius ſibi venialis peccati in oratione admiſſi, ſeu diſtra-

distractionis conscium esse, imò in oratione nullas evagationes animi pati, neque quid eæ sint, satìs scire extremâ ætate fatebatur: quod in hac ingenij nostri mutabilitate, & mobilitate miraculi instar reputo,& qui idem mecum sentiant, habeo. Quare cùm *P. Joannes Baptista Cicotus, P. Nicolai* per aliquot annos Romæ Confessarius, admirans quæsijsset, cur nunquam in Confessionibus de negligentijs,aliísque culpis in orando DEO admissis, sese accusaret? humili & sincero affectu respondit *Nicolaus*: *Quia nunquam in oratione peccatum admisi.* Istud idem in *Nicolao* æstimabat *P. Stephanus Tuccius* Vir authoritate, doctrinâ & virtutibus comparatâ maximus, & Pontificibus charissimus, qui hanc gratiam cœlestem multis verbis efferens tenerrimè *Nicolao* gratulatus est.

VIII. Neque hîc consistit Divina in *Nicolaum* benignitas, sed cùm eum à distractionibus omnibus in orando liberâsset, etiam illud addidit, ut nullam ariditatem in orando pateretur; affluebat cœlestibus solatijs, præsertim tempore adversitatis, quibus benignissimus DEUS servum suum fidelem solabatur, & revera tantâ se copiâ cordi ejus nonnunquam infundebant cœlestes animi voluptates, ut vitam erepturæ viderentur. Ex nulla re Creata voluptatem capere videbatur, in nulla re cor acquiescebat, nisi in DEO & in cœlestibus & divinis; huc,quæ agebat referebat omnia: quid-

quid cogitabat, loquebatur, ſcribebat, erat *DEUS*; imò, ùt antè dixi, vel hoc ſolum nomen *DEUS* cùm ab alijs audiret proferri, quaſi face ad pyrium pulverem admotâ, totus incendebatur animo, ut extra ſe rapi videretur. Unde non mirum cœleſtes illi delicias eò ſapuiſſe magìs, cùm humana omnia ſorderent. Vidimus eum aliquando ab oratione ſurgentem, cùm affectibus habenas laxâſſet, ſui prorſus diſſimilem, pallidum extenuato vultu, genis lividis, corpore debilitato, quod ei potiſſimùm ſacrificanti accidebat; eo enim tompore omnes laxabat cordis ſinus, & totus divinis affectibus incendebatur, & diffluebat lacrymis: ſæpe præ vehementia affectuum verba formare, & loqui non poterat, cogebatúrque hiante ore ignem cœleſtem quoddammodo exhalare, & verba cum impetu extrudere, ſudore interim copioſo per corpus fluente. Ob eam cauſam, & ob debilitatem virium cùm ſacrificando ad populum ſe converteret, pedetentim id facere, & ſeſe nè caderet, manibus ad altare ſuſtinere, eíque inniti cogebatur.

IX. Quàm pretioſa & DEO grata foret *P. Nicolai* oratio, raris & cœleſtibus eventis oſtendit DEUS, ut elevatione à terra, cœleſti lumine circumfuſo oranti, Arcanorum cordis revelatione, cœleſtium perſonarum apparitione, & alijs hujuſmodi gratijs, quas in vitis maximorum Sanctorum legimus; ſed his commemorandis hoc loco ſuper-

perſedeo, cùm ſequentem librum, ijs deſignaverimus.

X. Jllud omittere non poſſum hoc loco, orationem *Ven. P. Nicolai* dæmoni ſemper terrificam & exoſam fuiſſe, multíſque ac miris modis orantem ſæpenumero interpellâſſe; referam exemplũ. Cùm de Divo Ignatio Sanctis adſcribendo in Congregatione Cardinalium poſtridiè agendum eſſet, ídque negotium impensè & incenſiſſimis & potentiſſimis precibus DEO Domino commendaret, & in oratione illa pervigilaret Romæ in templo Collegij Anglicani, repentè ingenti ſtrepitu excitato, ante orantem Stygius Alaſtor adeſſe viſus eſt, & terrificâ ac frequenti ſternutatione percellere conatus eſt, *Nicolao* clauſis oculis orationem continuante. Sed & altero die cùm conſcientiam ex legibus Societatis veſpere examinaret, audit ingentem impetum in januam cubiculi fieri, in menſa, ubi ſtudebat, omnia ſúſquedéque everti, & forfices impetu rapi, tantóque furore terræ allidi, ùt in partes ferrum diſſiliret, mox malum hoſpitem fugam arripuiſſe notavit. Hæc *P. Nicolaus*, ut in oratione firmiùs perſtaret, fortuitò eveniſſe ſibi perſvadebat, at mali dæmonis technas fuiſſe, ſocij qui in rem præſentem poſteà venerant, indubiè affirmârunt, non enim niſi maximâ & occultâ vi in tot fruſta ferreæ forfices, quæ antè integræ & ſinè omni vitio fuiſſent, confringi potuiſſent.

 XI.

XI. Orabat autem *Pater* præter eas orationes, quibus ſe ipſum & ſua Domino commendabat, ter quotidiè deſtinatis ad hoc temporibus pro univerſo mundo, & maximis peccatoribus, quorum infelicitate maximè tangebatur; pro filijs ſuis *ſpiritualibus*, quorum ingentem numerum in varijs mundi partibus habebat; pro animabus *Purgatorij* pœnas ſuſtinentibus, pro quibus etiam cùm more *Societatis* ſuffragia indicerentur, primo quoque tempore explebat & perſolvebat, nè ſuâ deſidiâ earum pœnæ prolongarentur; ſed apparitiones animarum, preces & ſuffragia à *P. Nicolao* poſtulantium, in Librum ſequentem differimus. Pari diligentiâ, ſi cui orationes promiſerat, ad fidem & ſinceritatem fraternam ſpectare putabat, debitum precum quàm primùm exſolvere. Imagines ſacras, etſi in ſpeciem viles, oraturus ponebat ante oculos, primò, ut oculos affectus ſequeretur; ſecundò, ut ſuum in cœlites teſtaretur amorem, ut quorum præſentiâ careret, eorum conſortium deſideraret ardentiùs.

XII. In orationibus, quas *vocales* dicimus, verba ſemper affectu, quantum fieri poterat, ſequebatur; dicebátque, ſi turpe eſſet homini loqui contrarium quàm ſentias, multò indecentius videri, DEO quodammodò mentiri; & ponebat exempla ex Pſalmis, v. g. *DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*, quàm indecens foret, ſi tum

tum quodpiam peccatum, ſeu leve, ſeu grave deſignaretur animo & placeret. Inter orationes, quæ ſe offerebant, eas eligebat & præponebat, ad quas obligabatur magìs, ùt ſi cùm Divinum officium oraret, ad Angelicam ſalutationem ſignum daretur; procidebat tamen in genua continuò, ut hoc honore intereà DEI Matrem proſecutus, liberiùs eam poſteà ſalutaret.

XIII. Cùm *Patribus Tertiarijs* inſtruendis præeſſet, admonebat ſæpiſſimè, nè penſum Sacerdotale precum deproperarent, ac penè lacrymans, & toto pectore ingemiſcens, precabatur, nè hanc ignominiam, & tacitum contemptum *Divinæ Majeſtati* facerent, útque DEUM eâ ſaltem ratione alloquerentur, qua honoratos & pretij alicujus homines alloqui ſolemus.

XIV. Lacrymarum donum habuiſſe bonum Senem dubitare, qui Virum nôrant, non poſſunt, quibus in oratione, & aliàs per diem, ubertim fluentibus abſtergendis ſudarium vel ſtrophium bene longum & latum interdum non ſufficiebat, & fletu illo turgentes oculi dolorem Seni pariebant. Obſervavit itineris *P. Nicolai* comes, cùm officium de *SS. Martyribus* oraret, & neminem adeſſe crederet, & de profuſo Martyrum pro Chriſto ſangvine, neſcio quid ſacri legeret, repentè ſibi indignantem, quod nihil ejuſmodi pro Chriſto tolerâſſet, quaſi furentem à loco orationis ſurrexiſſe,

&

XI. Orabat autem *Pater* præter eas orationes, quibus se ipsum & sua Domino commendabat, ter quotidiè destinatis ad hoc temporibus pro universo mundo, & maximis peccatoribus, quorum infelicitate maximè tangebatur; pro filijs suis *spiritualibus*, quorum ingentem numerum in varijs mundi partibus habebat; pro animabus *Purgatorij* pœnas sustinentibus, pro quibus etiam cùm more *Societatis* suffragia indicerentur, primo quoque tempore explebat & persolvebat, nè suâ desidiâ earum pœnæ prolongarentur; sed apparitiones animarum, preces & suffragia à *P. Nicolao* postulantium, in Librum sequentem differimus. Pari diligentiâ, si cui orationes promiserat, ad fidem & sinceritatem fraternam spectare putabat, debitum precum quàm primùm exsolvere. Imagines sacras, etsi in speciem viles, oraturus ponebat ante oculos, primò, ut oculos affectus sequeretur; secundò, ut suum in cœlites testaretur amorem, ut quorum præsentiâ careret, eorum consortium desideraret ardentiùs.

XII. In orationibus, quas *vocales* dicimus, verba semper affectu, quantum fieri poterat, sequebatur; dicebátque, si turpe esset homini loqui contrarium quàm sentias, multò indecentius videri, DEO quodammodò mentiri; & ponebat exempla ex Psalmis, v. g. *DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*, quàm indecens foret, si

tum

quodpiam peccatum, ſeu leve, ſeu grave de-
iretur animo & placeret. Inter orationes,quæ
ferebant, eas eligebat & præponebat, ad quas
gabatur magìs, ùt ſi cùm Divinum officium
et, ad Angelicam ſalutationem ſignum dare-
procidebat tamen in genua continuò, ut hoc
ore intereà DEI Matrem proſecutus, liberiùs
poſteà ſalutaret.

XIII. Cùm *Patribus Tertiarijs* inſtruendis præ-
, admonebat ſæpiſſimè, nè penſum Sacerdo-
precum deproperarent, ac penè lacrymans,&
pectore ingemiſcens, precabatur, nè hanc ig-
iniam, & tacitum contemptum *Divinæ Ma-
ti* facerent, útque DEUM eâ ſaltem ratione
querentur,qua honoratos & pretij alicujus ho-
es alloqui ſolemus.

XIV. Lacrymarum donum habuiſſe bonum
em dubitare, qui Virum nôrant, non poſſunt,
ous in oratione, & aliàs per diem, ubertim flu-
bus abſtergendis ſudarium vel ſtrophium be-
ongum & latum interdum non ſufficiebat, &
ı illo turgentes oculi dolorem Seni pariebant.
ſervavit itineris *P. Nicolai* comes, cùm offici-
de *SS. Martyribus* oraret, & neminem adeſſe
leret,& de profuſo Martyrum pro Chriſto ſan-
ie, neſcio quid ſacri legeret, repentè ſibi indi-
ntem, quod nihil ejuſmodi pro Chriſto tole-
et, quaſi furentem à loco orationis ſurrexiſſe,
&

& cubiculum omne lacrymis & gemitibus impleviſſe, ſibi omnia dira & tormenta precantem, & ſuam infelicitatem accuſantem. Cùm per occupationes neceſſarias orationi extraordinariæ (nam ordinariam nunquam ſibi eripi patiebatur) ſe impendere non poſſet, vacuus jam à negotijs ſvaviſſimè in oratione deliciabatur, quaſi in centro ſuo in DEO acquieſcens, & affixus; contigítque aliquando ut duodecim horis continuis, interdum etiam ſedecim, & octodecim in orando perſiſteret, & quidem non ſumpto per 35. horas, niſi ſemel valdè modico panis, & mellis cibo; cùm intereà aculeatâ catenâ corpus ſtringente, & triplici longáque flagellatione eâdem die in ſe ſeverè animadvertiſſet, & animo divinis occupato, toto illo tempore nullam corpori quietem & ſeſſionem indulſiſſet. Hæc de oratione *Ven. P. Nicolai*; jam de ejus aſcenſu ad DEUM ex omnibus rebus creatis aliquid eſſet dicendum, ſed hoc argumentum ad caput de Amore Divino differimus.

CAPUT III.

Ven. P. Nicolai in SS. Euchariſtiam quotidiana pietas, & tenerrima in Myſterijs Fidei devotio; tum aliquid de affectu in Virginem Matrem, & Sanctos quos ſibi colendos & imitandos propoſuerat.

I. Mul-

I. MUltis hujus historiæ locis recordor me fecisse mentionem, reverentiæ & pietatis, quam Religiosissimus hic Vir erga *Venerabile Sacramentum*, perpetuam & ardentissimam semper præsetulit; sed *Sacrificium Missæ* peculiarem sibi vendicat locum, quod tantis ardoribus, tantóque apparatu animi, & omnium affectuum peragebat, ut si visionem beatam excipias, felicitatem *Beatis* præ sua, pene dixerim, non invideret: tantis in hoc divino Sacrificio affluebat delicijs. Quanquam temperabat has voluptates nonnunquam *Divina Majestas* manifestatione multorum arcanorum, & rerum tristium significationibus, quibus cor ejus lancinabatur, & sauciabatur, ut progredi in cœpto Sacrificio non valeret, & pæne suffocaretur lacrymis. Exempla quædam (nam pleraque ad Conscientiæ forum pertinent, & vulgari se non sinunt) Lib. 3. referemus.

II. Inprimis, quantum per occupationes licebat, horam præparationi ad Missam, tres horæ quadrantes ipsi Missæ legendæ, horam itidem, aut cùm id non daretur, mediam gratiarum actioni impendebat. Præparatio in ardentissimis affectibus consumebatur, ijs præcipuè, quos in opusculo *de Sacrificio Missæ* expressit. Priusquam ad templum descenderet celebraturus, *Sanctissimam Trinitatem* obsecrabat, singulas divinas personas speciatim adorando, & petendo ab *æterno Patre*, ut in hoc

hoc *Sacrificio Filium* ſuum ſumendum & amandum daret cum ea cœleſtium donorum & Benedictionum copia, cum qua illum Matri Virgini dederat in Incarnatione. Mox ad *DEI Filium* converſus ardenter petebat, ut ad ſe cum ea plenitudine gratiarum veniret, cum qua in ultima cœna ad ſuos dilectos *Apoſtolos* veniebat. *Spiritu Sancto adorato* humillimè ſupplicabat, ut corpus ſuum & animam ſuam præpararet Chriſto ad ſe venturo, prout præparaverat corpus & animam Virginis, cùm ex ejus caſtiſſimo & puriſſimo ſangvine Chriſti corpus formaret. Eadem omnia mutatis mutandis petebat *à Virgine Beata*, *Sanctis Apoſtolis*, & cæteris Sanctis, & Angelis, ut eorum interceſſionibus, ea, quæ petebat, obtineret. Hos, quos modò dicebam affectus, ante Sacrum nunquam prætermittebat.

III. In ipſa Miſſa tam clarè & diſtinctè pronunciabat omnia, ut, qui celebrantem audiebant, omnia bene perciperent, & affectu legentem ſequi poſſent. Certa quædam verba notabantur, in quibus ipſe perſiſtebat nonnihil, præcipuè *in Hymno Angelico*: *Gloria in excelſis*, qualia multa in Canone Miſſæ leguntur, quibus ad diverſos erga DEUM affectus incitabatur; exempla quædam nuper attuli. Poſt Conſecrationem in Miſſa, tanto & tam ſerio affectu ſtatim Chriſtũ adorabat, ut videretur ſub ipſum terræ centrum deſcendere & humilita-

te penetrare. Cùm Sanctiſſimam hoſtiam vel calicem ad populi adorationem elevaret, videbatur ad cœlum uſque elevare velle: nam tunc Sanctos omnes ad Chriſtum adorandum invitabat, dæmonibus verò & damnatis, ut ad ejus conſpectum contremiſcerent, imperabat. Divinum Chriſti ſangvinem, in altum elevans, deſiderio ſpirituali pretioſum hunc ſangvinem, in *Purgatorij* flammas infundebat, dicens intra ſe: *en litrum, en Redemptorem animarum*! Sacram Hoſtiam quotidie in Viaticum mortis ſumebat; & ab altari recedebat eo affectu, quaſi nunquam rediturus, ultimum hoc Sacrificium DEO obtuliſſet. Sangvinis ſpecies ſumpturus magnâ juſtitiæ ſiti deſiderabat ſuum ſangvinem pro Chriſto exſiccari, ut nihil præter Chriſti gloriam cogitaret, aut ageret; ſangvinem verò ipſum è Chriſti latere, & glorioſi ejus corporis vulneribus ſugere ſe piè imaginabatur. Cùm intenſiſſimos amoris actus eliceret, id ferè ſemper *Italicâ Linguâ* faciebat, aptiſſimam eam eſſe dicens ad tenerrimos affectus, appellabátque eam ſacram ſuam lingvam, quod in ea *Societatis Tyro* DEUM amare didiciſſet.

IV. Poſt *Sacrificium Miſſæ* plerumque horam in gratiarum actione conſumebat, habebátque libellum, à ſe conſcriptum (quem ego ſæpe in manibus habui, atque utinam deſcripſiſſem, magno mihi nunc uſui futurum) in quo beneficia in ſe

DEI

DEI amanter recolebat; erat bene longa gratiarum actio, quam flexis genibus instar *Tyronis* in angulo, vel loco solitario flectens peragebat; illáque gratiarum actione mirifice incitari se fatebatur ad novos pro DEI gloria aggrediendos labores. Plura adducere non vacat, cùm in citato opusculo legi possint, optimè enim dixit primus vitæ *P. Nicolai* Scriptor, *quod scripsit, hoc vixit*.

V. Post *SS. Eucharistiam, & Passionem Christi*, & Crucis Mysterium in nullo deliciabatur magìs, quàm in JESU infante, quem *Sancti Francisci Seraphici* vocabulo *puerum de Bethlehem* appellabat; huic tenero amori causam dedisse videtur apparitio quædam, de qua Lib. 3. cùm in Venerabili Hostia puerum JESUM aspectabilem, in patena sedentem ad illa verba: *Agnus DEI, qui tollis peccata mundi*, adoravit. Totam Nativitatis noctem in Pervigilio amoris divini ardentissimis affectibus transigebat; pridie verò nihil aliud, quàm JESULI infantiam loquebatur, erátque multum solicitus, ut eâ nocte, & die consequente, quàm devotissimè à familiaribus suis Christus parvulus coleretur, in eam rem conscripserat nobis devotiones, & puncta amorum erga infantem JESUM, quæ in opusculis leguntur. Cætera mysteria vitæ Christi & devotiones, quas certis per annum diebus usurpabat, prudens prætereo.

VI. In Beatissimam DEI Matrem magno ferebatur

baturaffectu; in suis opusculis amantissimè semper, & dulci & tenero affectu DEI Matris meminit, & maximè in Tractatu *de Præsentia DEI* varias & tenerrimas praxes & modos eam amandi & colendi adduxit, & in Usu Meditandi omnem Sabbathi diem ejus prærogativis cognoscendis deputavit; ipsa etiam Divina Mater sæpius *P. Nicolao* sese spectandam offerens, & dulciter alloquens (ùt posteà dicetur) amoris mutui clarissima dedit indicia. Virginis Matris coronam continenter, dum ambularet, tenebat in manu, Virginem ad omnes horas salutans, & benedictionem cum prole pia exposcens; Immaculatæ ejus Conceptioni totis sensibus deditissimus, voto ejus semper tuendæ, ùt Lib. I. narravi, sese obstrinxerat. Rationes pro Immaculata Conceptione potentissimas habebat in promptu, quas se à *Magistris* suis in *Theologia* (*Mutio Vitellesco*, & *P. Arrubal*) didicisse, & posteà à *P. Joanne de Lugo* audisse gloriabatur, quæ argumenta nostris Theologiæ Professoribus, maximè P. Ignatio de Rojo Theologiam docenti, ex usu fuerunt, & magnos in Disputationibus Theologicis plausus excitârunt.

VII. *Sanctum Patrem nostrum Ignatium* in corde & oculis ferebat: hunc mirabatur, hunc *Magistrum Spiritûs* & Sanctitatis appellabat, qui non obviam Sanctitatem, sed selectissimam, & ut ità dicam, obrizam, & gemmeam docuisset; & *S. Jo-*

annis Euangelistæ dilectionis ſpiritum (ùt *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis* revelatum eſt) habuiſſet. Dicebat eum omnium virtutum habitus in gradu altiſſimo tenuiſſe; & cùm aliquando quidam mihi, bene notus *P.Nicolao*, ſuam erga *S Franciſcum Xaverium* teneritudinem aperuiſſet, gravibus verbis admonuit Senex: nè *Divum Ignatium* in amore poſtponeret, multóque minùs omitteret; eſſe eum ipſius *S. Xaverij*, & totius Societatis communem Parentem, proinde nos illi ampliùs debere, qui *Xaverium* in Chriſto genuiſſet. Feſtum *S. Patris* ſummâ pietate celebrabat, & dentem *S.Patris* (quem *Adm. R. P. Mutius P. Nicolao Romæ* donaverat) in forma Proceſſionis huc atque illuc in cubiculo deferebat, cum multis gratiarum, reverentiæ & oblationis, aliiſq; affectibus. Si,ùt fieri ſolet, eo die in noſtro templo ab aliquo Eccleſiæ aut Religionis *Prælato* Concio de *S.Ignatio* habenda eſſet, *P. Nicolaus* lectiſſima quæq; de *S. Ignatio* ex adverſarijs ſuis & *Archivo* noſtri Ord: deprompta, ſuggerebat,quæ Concionatores cũ admiratione populi proferebant in medium. Quid ei, cùm *S. Ignatij* vitam manu teneret, atque ex ea Caput de oratione legeret, contigerit, ſuo loco dicetur.

VIII. Multos alios Cœlites habebat in delicijs, & cùm eorum mentio fieret, nunquam ſinè dulciſſima aliqua præfatione recordabatur, ùt *S. Franciſci Seraphici, S. Dominici, S. Thereſiæ, S. Catharinæ*

Senen-

Senensis, *S. Philippi Nerei &c. S. Antonium de Padua* familiarissimè, velut præsentem alloquebatur, cujus signum parvulum secum ferebat,& ut ab eo, quod vellet, impetraret, faciebat illa, quæ sanctæ memoriæ *P. Bernardum Colnagum* fecisse ejus vita commemorat. Universim dici potest, *P. Nicolaum* tenero amore Sanctos omnes amâsse, ea solùm de causa, quòd DEUM amâssent.

CAPUT IV.

Mortificatio sensuum, & in passiones animi perfectum dominium.

CHristus Dominus, novus homo de cœlo cœlestis, nova & cœlestia Consilia dedit mundo, & virtutes docuit, quarum nè nomen anteà sciveramus. Inter eas censetur abnegatio sui, seu recepta jam viris spiritualibus voce *mortificatio*: quam profectò, qui non sequitur, & non abnegat se ipsum, non potest vocari *Christi Discipulus*. Ea dividitur in partes duas, quibus scilicet constamus, corporis, & animæ, ut illa sensus omnes & membra, quæ sunt super terram, coërceat, nè spiritui rebellent; hæc verò brutales animæ facultates habeat in potestate. Et varij quidem sensus sunt de mortificatione. *S. P. N. Ignatius* optimè & sapienter judicavit, mortificationem,

nem, quæ ad corpus pertinet, non posse eandem omnibus imponi, tum quia diversæ sunt Religiosorum vires, tum quia diversi status diversa requirunt; ideóque lege statuit, ut quisque eas tantùm assumat mortificationes & corporis cruciatus, quas consultus Præfectus Spiritûs approbârit. Nihilominùs ea in Societate nostra frequentatio hujus virtutis viget, ut paria à socijs fieri viderimus domi (nam exterior omnis & publica mortificatio, sub qua ostentatio, & ambitus, & hypocrisis latere potest, lege nobis, citra Superiorum annutum, prohibetur) quæ in viris Sanctis & mortificationi diditissimis in eorum Vitis legimus & admiramur. Mortificatio verò interna & internarum facultatum propria, tantopere commendata semper fuit, ut *S. Pater* noster lege præceperit, *quærendam esse nobis continuam in rebus omnibus abnegationem.*

I. *Ven. P. Nicolaus,* judicio omnium, qui Virum novimus, corpus edomitum, animam verò, quantùm naturæ imbecillitas patitur, omnibus passionibus, quæ turbare quietem animæ possunt, liberam, perfectissimè habuit. Sed ordine progrediendum est, ac primò de afflictione corporis agemus. Jam pridem, ùt dixeram, à principio sui in Societatem ingressûs, in annos quàm plurimos, viæ, quam Ascetæ *purgativam* appellant, totum se dedidit, cujus munus est, DEUM offensum doloribus placare, & pœnas peccatis debitas quan-

tum

tum fieri poteſt abolere; qui conatus ad virtutem Pœnitentiæ refertur. Ergo toto animo Ven. Pater in mortificationem ferebatur, ſic ut etiam coërceri debuerit: omnia, quæ ſe offerebant aſpera, & incommoda corpori, quorum in Religionibus materia nunquam deeſt, ſic accipiebat, & tolerabat, quaſi peccatis ſuis debita; aggreſſus deinde eſt, ſibi ipſi duriſſima quæque imponere. Plurimis annis lecto uſus non eſt, ſed in nudo vix tres palmos lato aſſere cilicio præcinctus ſomnum capiebat. Multùm ſe amare dicebat *P. Antonium Spinellum Provincialem Romanum*, qui *Lancicio* adhuc Scholaſtico, quod ab alijs impetrare non poterat, ipſe liberaliſſimè concedebat, & cruciandi ſui novas & novas rationes commendare ſolebat, copiam ultro faciens, jejuniorum, verberationum, duræ cubationis, ciliciorum, ac cæterarum ejuſmodi aſperitatum, quas, qui pœnitentiam amant, conſectantur.

II. Quoties ſe ad orandum componeret, nunquam acclinis, ſed ab omni, quod corpus ſuſtentare poſſet, remotus, preces genu flexus perſolvebat; omnibus ijs annis, quibus, ùt dixeram, ſuper nudo aſſere cubandi facultatem acceperat, cilicio horrido præcinctus, dies ac noctes exigebat, quem ejus gravem cruciatum, cùm Majores interrogando reſciſſent, vetuerunt ulteriùs procedere, nè vires corporis nimiùm læderentur; at ſerum jam erat

erat hoc Superiorum consilium; siquidem etsi molliùs & quietiùs cubaret, tamen corpus vigilijs & cruciatibus assvetum, somnum nisi interpolatum non admittebat, primúsque ejus somnus nunquam semiquadrantem horæ excedebat, fiebátque, ut, cùm de sommo surgeret, ferè fatigatum magìs corpus, quàm quiete recreatum inveniret; sed id posteà *Ven. Pater* correxit in melius,& quibusdam, quæ suggerebantur remedijs, somnum debitum sibi restituit, ut corpus ad DEI gloriam habilius & valentius redderetur. Ingravescente ætate quatuor horas somno dabat; reliquum noctis tempus hyeme in cubiculo, æstate in templi choro, vel eundo per domum (ad quam rem, nè strepitum ederet, & alienum somnum interturbaret, calceos sibi panneos & tomento plenos fieri curaverat) consumebat orando; ante horam consvetam meditationis duas præmittebat horas, & tertiam cum socijs finiebat.

III. Dicebat in mortificatione finem reponendum non esse, & eos tantùm cruciatus assumendos, qui ad aliquam virtutem viam facerent. v.g. in principio conversionis ad DEUM pœnitentiæ amore, ut DEO faciamus satìs pro culpis nostris. In via spirituali jam ulteriore, ad victoriam sui comparandam (multi enim ex amore sui, corporis cruciatus & dolores, quos mortificatio adfert, perferre non possunt) in ulteriori adhuc virtutis pro-

processu, ut nos ipsos sancto odio persequamur, ut pro alienis peccatis DEO satisfaciamus, ut virtutem aliquam impetremus, ut Christo Crucifixo conformes simus &c. nam si hæc absint, & his finibus & motivis non agamur, non ità utilis est mortificatio, præsertim in corpore spiritui non rebellante, & ad jussa animæ obsequenda paratissimo, &, ut ità dicam, voluntario. Ex hac considerατione *P. Nicolaus* svadebat eas assumi afflictiones corporis, quæ sensum quidem doloris acerrimum adferrent, sed corpus non læderent, quod scilicet unà cum anima jugum Christi tollere deberet, & quasi virtutis currum trahere. Dum Collegijs præesset, diligentem dabat operam singulis sociorum vocatis & examinatis, an vestes hyemi arcendæ idoneas, & fovendo corpori in hyeme necessarias haberent, quare non facilè cruciandi frigore corporis faciebat facultatem; monebátque, & rogabat Ministros, & Procuratores, providerent, ut singuli, commodè, & decenter vestirentur, præcipuè illi, quibus magni labores in Ministerijs Societatis, ùt in scholis, missionibus, ægrorum accessu, sacrarum Confessionum auditione, aliisque functionibus manerent, quæ corpus robustum & valens ad DEI gloriam requirant.

IV. Nunquam Ven. Senex aliquid extraordinarium, & delicatius sibi apponi passus est, nisi extremâ ætate, ùt mox dicam; contentus erat cibis

communibus. In omni mensa (quod mihi sæpius ab eo commendatum memini) quærebat abnegationem sui, à grato aliquo cibi genere, vel abstinendo prorsus, vel differendo sumptionem, vel aliquid ex eo, quod optimum videretur relinquendo, vel potu, dum maximè vellet, abstinendo, denique mille artibus appetitum fraudando.

V. Aperiam hoc loco piam quandam, simul novam & dulcem *Ven. Patris* in ciborum abstinentia cogitationem, & sensum: cùm enim agitaret animo, quanam potissimùm ratione Christo Domino pro nobis sangvinem profundenti responderet, & ùt veteres Ascetæ suos monebant, *sanguinem daret pro sanguine*, vel illud: *da sanguinem, & accipe spiritum*, post verberationes sui, de quibus jam dicam, illud cœleste lumen illabi sensit animo: *Primò*, ut pauperes, qui Christi personam gerunt, cum Majorum facultate suo se cibo defraudans, pasceret, & nutriret; sic futurum, ut cibus, qui in suam carnem & sangvinem convertendus erat, in sangvinem & carnem pauperum, & quodammodo Christi verteretur; *Secundò*, si ea facultas negaretur; in amorem Christi sangvinis, quem die altero sumpturus erat, de sua sibi portione subtraheret, atque tali ratione rursus particulam sangvinis ex illo cibo speratam Christo offerret; quâ cogitatione occupatus, magno cum gaudio & delectatione abstinebat, ut etiam jejunia

nia dulcescerent. Quando seni jam decrepito Majorum charitas de cibis aut melioribus, aut ad digestionem facilioribus providebat, eos ille cibos bonâ Majorum veniâ plerumque socijs infirmioribus mittebat, nè tamen Majorum de se providentiam fallere videretur, assumebat, libabat, mox velut non placerent, dissimulatè Ministris mensarum restituebat, datâ etiam operâ crassioribus cibis vesci solitus, ut stomachum vexaret, qui continuo dolore, quem pituita copiosa & ructus prodebant, cruciabatur; at qui Sancti Viri artificium non intelligebant, illam crassorum ciborum ingestionem damnabant: in cucumerum esu præcipuè, qui stomacho senis cruciatus maximos adferebant, & tamen avidè, & magnâ copiâ à sene, maximè cùm se observari videret, ingerebantur.

VI. Ad morbos, nisi Majores juberent, medicinam non adhibebat, fugiebat illa omnia, quæ vitam longiorem facere à delicatis putantur, & habentur in pretio, ùt potus czokolatæ, & herbæ cujusdam, quam The dicunt; dicebat corpus suum mundo & voluptati sensuum mortuum esse debere, pugnare hanc inutilem curam cum desiderio, quod haberet, citò dissolvi & esse cum Christo. Fructus primos arborum & herbarum, etsi maximè in eos appetitus raperetur, nunquam gustabat; vino diu ante mortem omnino abstinuit, quamvìs in eo magnum præsidium fatiscenti na-

turæ agnoſceret; hanc à rebus gratis abſtinentiam nullâ perpetuâ lege ſibi indixerat, ſed cùm Majores juberent, & cùm hoſpitalitas ſvaderet, & benevolentia, vel authoritas aſſidentium id poſceret, ſumebat; majorem ſcilicet rationem ducebat divinæ gloriæ, quàm obfirmatæ in propoſito voluntatis. Hinc frigoris incommoda (quod in Septemtrionalibus Provincijs permoleſtum eſt) tam diu ferebat, dum majora bona eo frigore non impedirentur, calefieri cubiculum non ſinebat, niſi ipſemet juberet, & ferè poſtremus in Collegio id obſequium à famulis domeſticis admittebat.

VII. De minimis, qui ejus tractationem legerit, multa in ea inveniet cruciandi ſui genera, quæ ſtudiosè conſectabatur. Sordes etſi odiſſet maximè, tamen aliquando vincendi ſui causâ perferebat libenter: hoſpes cùm aliquando cubiculum aſſignatum haberet plenum pulicum gregibus, nihil queſtus eſt, ſed toto corpore die noctúque compunctus, multos dies toleravit dolorem. Repetebat iterum iterúmque coram nobis, nihil eſſe tam parvum, quod ſi DEO offeramus, tantæ Majeſtati non placeat, imò adeò gaudere DEUM (ídque ſe ſuo, & multorum experimento didiciſſe) & glorioſum ſibi ducere, ſi minima in ſpeciem ſibi oblata, maximis, & extraordinarijs præmijs proſequatur. Oculos habebat in fræno, nec facilè induci poterat, ut ſpectacula, ludos, ignes miſſiles

no-

nocturnos, & pompam bacchantium & personatorum, qui mos est diebus antecineralibus, aliáque hujusmodi ridicula spectaret; imò etiam sacra spectacula, si tantùm ad pompam & plausum adornata esse sciebat, fastidiebat, & si fortè præterirent, fenestras claudebat, *nè si curiositate vincar*, inquit, *derisiculo sim dæmoni*; cúmque nihilominus urgerent socij, & præsentiam Procerum obtenderent, reponebat: se visu debilitatum jam pridem perspicilijs uti, & nolle oculos fatigare, quibus meliùs uti posset.

VIII. Dixeram antè de duro cubatu, ac cilicij nocturnâ & diurnâ gestatione à Majoribus illi vetitâ; paruit optimus Pater, ut non in totum dimitteret, nec tamen assiduè corpus cruciaret. Primò: nunquam cilicio illo horrido & ferreis uncis constante utebatur, cùm aliquis labor, aut animi, aut corporis urgeret, sed tum primò adhibebat cilicium, cùm laborem finisset. Secundò, ut in itineribus, cùm flagris in se sævire non posset, die toto cilicio præcingeretur, quòd tam arctè & altè in corpus descendebat, ut etiam post mensem ciliciorum vestigia apparerent. Verberatio, seu Religiosorum voce *disciplina*, quinquies in die, nullo nè Paschate aut alio solenni die excepto adhibebatur: flagris exercebatur grandibus ac sævis, quæ dolorem vehementem quidem adferrent, vicinis tamen in cubiculis non facilè possent audiri. Nervi

boum

boum crudi nec secti, inter cætera sanctæ sævitiæ instrumenta reperiebantur, quibus etiam septuagenario major, uti deprehensus est. Prima verberatio quotidiana suscipiebatur pro animabus in Purgatorio; secunda, pro ijs, qui in peccato mortali hærerent, & DEUM iratum sibi placare omitterent; tertia pro afflictis, & quacunque seu corporali sive spirituali necessitate pressis; quarta pro incremento S. Ecclesiæ, ut quàm plurimis & maximis sanctimoniâ Viris in omnibus Ordinibus abundaret; quinta pro Benefactoribus nostræ Societatis, & suis: quos inter primo loco ponebat, à quibus afflictus fuisset, aut affligeretur, sive adhuc in vivis essent, sive vitâ defuncti. Quotidiana illa flagellatio integram horam & quartam ejus partem explebat, propptereà quod singulis flagellationibus aptas intentionibus supradictis orationes à se compositas recitaret, quæ in multum tempus protrahebantur. Die sic pijs pœnis conclusâ noctem auspicabatur, quâ sæpe tenebris horrente loca tristia, & horrorem excitantia adire solebat, naturæ vincendæ causâ, quæ ab ejusmodi locis horridis, & ob tenebras quasi ignotis, mirum in modum abhorret.

IX. Jam ad alteram abnegationis seu mortificationis partem, quæ in passiones & affectus dominatur, eásque in gyrum rationis flectit, veniamus, quas quidem *Ven. P. Nicolaus* ità habuit in po-

potestate, continuo sese abnegandi studio, sed longè magìs extraordinario, &, ut ità dicam, miraculoso divinæ gratiæ munere, ut nunquam, nisi cùm vellet, exurgerent: statim inter initia Religiosi Tyrocinij sui, id DEI beneficio assecutus est, ut nunquam per omnem vitam reliquam inani gloriolâ titillaretur, quod rarissimum est DEI donum, & solis, ut ità dicam, Heroibus Sanctis concedi solet. Cùm naturam vehementem & facilè irritabilem nactus esset, eò lenitatis processit, ut irasci non posset, & cùm necessaria reprehendendi causa (cùm Socijs præesset) occurreret, iram fingere cogeretur; ac jucundum erat spectare Patrem iras colligentem, & vero vultu invehentem, mox ut abiverat reprehensus, ridentem, & placidè nullo relicto iræ vestigio in momento ad colloquij prioris argumentum pertexendum redeuntem; non semel adstantibus amicis & familiaribus dixit: *Nunquid vidistis iræ meæ motus? credite mihi, jam pridem didici oculos fallere & hominum judicijs me exponere propter DEUM. Docuerunt me istud magni Sancti: & quos novi de facie, aut ex eorum calamo, & quorum vitas legi.*

X. Et sanè illud in passiones, & naturales animi impetus dominium vel in vultu *Ven. P. Nicolai* elucebat: semper enim sibi similis & hilaritatem animi spirans inveniebatur. Scio alienorum dictorum & morum Censores, & qui Sanctimoniam

vitæ

vitæ in quadam triſtitia & moroſitate, plùs quàm ſenili repoſitam putant, vel hinc occaſionem carpendi optimum ſenem ſumpſiſſe, quod in omni colloquio lætus, ſæpe etiam, cùm res poſceret, rideret; at ille, quod *B. Maria Magdalena de Pazzis* in raptu quodam de *B. Aloyſio* dixit, *operabatur ab intus*. Contigit quodam tempore in cœtu Nobilium & Jlluſtriſſimorum Virorum mentionem *P. Nicolai* fieri; continuò unus aliquis ex Nobilibus, qui quid eſſet Sanctitas nè olfecerat quidem, ſublato ſupercilio & *naſo contumeliam ſpirante*, ùt loquitur *D. Gregorius Nazianzenus*, ait: multa & mira ſibi de *P. Nicolao* dicta, ſed comperiſſe tandem hominem cæteris ſimilem, ridere, jocos ſpargere, & ſemper hilarem eſſe, quæ ſanctimoniam tantam, quanta prædicaretur, non indicarent; aderat huic colloquio *Princeps Lobkovvicius*, vir accerrimi judicij (quem poſteà *Supremum Aulæ Cæſareæ Præfectum* vidimus) qui Patrem familiariſſimè noverat, qui patrocinium aſſumpſit his verbis: *P. Nicolaus Lancicius nobiſcum quidem lætè & familiariter agit; ſed dum foris in æſtimatione hominum noſter eſt, ùt putamus, interiùs totus eſt DEI, fertúrque in DEUM mille intenſis affectibus*; hæc de abſente *Patre Nicolao Wenceslaus Sagani Dux*, quo ſuo dicto os calumniatoris occluſit.

XI. Libertatem illam ſpiritûs, & lætitiam nullis affectibus perturbatam ipſemet *P. Nicolaus* in

ſe

ſe agnovit: in ſcripto quod jubente *Adm. R. P. N. Mutio* de ſe confecit paucis ſed penetrantibus verbis expreſſit: *Mens libera ab annis triginta.* Et in alia Conſcientiæ ratione An. 1641. data clariùs: *Ab annis propè quinquaginta à primis motibus iræ & aliorum affectuum inordinatorum mens libera, etiam erga eos, à quibus pati contingit, & amor tener erga illos cum ardenti deſiderio benefaciendi &c.* Nihil erat tam grave & ſubitum, vel quod præter ſpem accideret, quod quietem Patris perturbaret: nullo ſtrepitu, ſi quis inter ſacrificandum aut orandum excitaretur, commoveri poterat; ſæpe in itineribus curru everſus, & grandi impetu in terram datus, nè verbo quidem negligentiam aurigarum incuſavit, imò ſæpius accidit, ut cùm clepſydram manu teneret, ità eam in lapſu moderaretur, ut rectam ſemper teneret, nè arenæ decidentis curſus interciperetur.

XII. Rerum humanarum maximus erat contemptor: in itineribus Germanicis, Italicis, aliarúmque terrarum, arces, domos magnificas, regia palatia viſebat nunquam, niſi Sociorum charitate adductus; quod cùm faceret, tam ſtudiosè agebat, ut omnia referret in numerum, ad utilitatem proximi, & DEI gloriam, quo illicio narrationum multos ad ſe poſteà attraxit, qui ejus jucundiſſimo alloquio mirè capiebamur; at ille noverat ità profana ſvavitatibus cœleſtibus condire, ut ſemper me-

meliores, quàm veneramus, diſcederemus. Redux ab Italia in Patriam, *S. Xaverij* exemplo, proximam domum, quam ſibi olim à puero dilecta ſoror incolebat, præterijt, & quantumvìs multum rogatus, non ſalutavit. Etſi verò tam incurioſus rerum circa ſe geſtarum videretur, tamen in rebus ad Societatem noſtram pertinentibus tam erat ſtudioſus, & ſagax, & ſingulari memoriæ firmitate ea impreſſerat ſibi, ut rogatus ſtatim ex tempore reſponſum daret, præcipuè de *S. Ignatij* geſtis, & origine Ordinis noſtri. In S. Fundatore noſtro præcipuè admirabatur in affectus omnes prudentiſſimum dominium, ex quo nata ſit admirabilis *diſcretio*, quæ *Regina virtutum* meritò appellatur; hanc ille approbabat exemplis, & ad imitationem ſocijs proponebat, ut omne nimium in affectibus vitarent, ſed ratione magiſtrâ uterentur. Nolo hoc caput jam ſat prolixum extendere; legatur excellentiſſimum ejus opuſculum, de indicijs *Profectûs ſpiritualis*, tum alterum illud de paſſionum dominio; iſtorum enim librorum in ſe *Ven. Pater* non adumbratam, ſed vivam expreſſit imaginem.

CAPUT V.

Amor Crucis, & in adverſis mira patientia.

I. Sæpè

I. SÆpe mihi in vitam *Ven. P. Nicolai* intuenti magna admiratio oborta est, quam etiam Amicis communicavi: quid tandem esset, quòd Senex optimus de omnibus bene meritus, & mereri studens, Vir moderatissimus & humillimus, qui in conspectu DEI ambularet, qui in aliena consilia & negotia nihil inquireret, qui si quid pateretur, silentio propter DEUM concoqueret, tamen tot & tantis pateret oblocutionibus, & quotidie novis ac sibi semper succedentibus adversis peteretur, ut nondum bene curato, quod calumnia fecerat vulnere, novum vulnus acciperet. Imputabant prudentes & Religiosi, & Amici Viri, has esse pòtissimas causas: quòd Religiosæ disciplinæ minùs observantes, ejus monitis & præsentiâ graviter se vulnerari sentirent, eóque vidente & præsente commovere se non auderent; itaque quod fieri natum est, ejus authoritatem elevarent, quidquid religiosè, piè aut sanctè diceret aut ageret, in deteriorem partem traherent, & alijs irridendũ propinarent; qua quidem in re *Ven. Pater* benignam oblocutionibus aliquando præbebat materiam, cùm Apostolico zelo instinctus, tum in exhortationibus sacris, tum in colloquijs, tum etiam scriptis libris vitia, quæ nunc maximè in orbe vigent, carperet, increparet, & meritas à DEO pœnas comminaretur; quæ cùm audirent, animæ rerum cœlestium inanes, nimiam *Ven. Patris* audaciam,

ciam, & quaſi intempeſtivam interpretabantur, & damnabant.

II. Altera cauſa fuit magna *P. Nicolai* cum Proceribus Regni & Principibus, & in Regno Poloniæ etiam cum Regibus familiaritas & conſvetudo; credebant illi ipſius conſilijs Proceres regi, eíque eventus ſiniſtros imputabant, ipſum porrò Patrem vanitatis & levitatis arguebant, quòd vitæ privatæ tædio ſpecioſas & glorioſas Magnorum Virorum amicitias ſectaretur; ſed hæc potiſſimùm cauſa fuit, dum adhuc in Regno Poloniæ habitaret, ubi ab Antiſtitibus Eccleſiarum, Proceribus, & ab ipſis Regibus ferebatur in oculis, at *Ven. Pater* nihil in Aulis niſi DEUM & ejus gloriam ſpectabat.

III. Tertiam eámque veriſſimam tot adverſitatum cauſam fuiſſe exiſtimo, mali dæmonis in *Ven. Patrem* odium, qui multas ex ejus ſervitute animas eripuerat, & peccatis exoneratas divinæ luci, & Creatoris ſui amori & obſequio reſtituerat: quod odium dæmonis eò uſque proceſſit, ut nè nomen quidem *Lancicij* audire poſſet; cùm verò dæmonis fraudes innumeræ, magnus calumniarum artifex dæmon dictus ſit, & *accuſator fratrum* (quod nomen ſacræ literæ ei dederunt) non poſſunt ei deeſſe jacula, quibus vel ex aperto, vel ex occulto vitam hominum inceſſat, eorum maximè, quos tam pertinaci odio ſibi deſignârit. Aſſequebatur

batur hâc ratione, ut *P. Nicolaus* privatus existimatione, authoritate, careret etiam opportunitate, & facultate animas adjuvandi, ad virtutem, & DEI amorem inflammandi, & quasi exarmatus nihil præclari ad DEI gloriam efficere posset, nisi è contrario Divina Majestas (ùt brevì dicemus) & boni Genij quàm plurimas animas ab eo cœlestibus monitis instruendas, quotidie adduxissent. Sciebat illud dæmonis in se odium Pater, refértque *P. Godefridus Schubertus* (in MM. SS. suo) colloquium secum hac de re habitum à Sene: *Audistin'*, inquiebat, *quam in me tempestatem concitaverit dæmon? scio ego, quanto in me odio feratur! adeò ut cuidam Moniàli Romanæ, quæ ei se tradiderat, seriò prohibuerit, nè nomen meum unquam proferret. Crede mihi, si dæmon posset, corpus meum in mille partes laceratum, in mille patibulis suspenderet; ego tamen eum ùt creaturam DEI, & tanquam meliorem me, sed infeliciorem amarem, & propter DEUM si possem, ipsi benefacerem.* Hæc ille.

IV. Has ego arbitror fuisse causas, quæ tam uberem patiendi segetem *P. Nicolao* præbuerunt, ùt L. 1. c. 15. narraveram; at ipse perinde habebat, undecunque cruces provenissent, modò eas obvijs ulnis, ùt dicimus, amplecti, aut potiùs amplexari posset. Quâ perpetuâ patiendi consvetudine factum est, ut adversa in solatia transirent, & cùm gravia quæque adversùs se instrui sentiret, to-

to animo atque etiam corpore ſubſiliret, plauſum manibus daret, DEO millies gratias ageret, & ſeſe ad aſperiora Chriſto, quem ſic imitabatur, offerret; atrociſſimas etiam calumnias *bolum pinguem ſine oſſe* appellans. Ajebat convictum ſe à DEO, ut libenti animo toleraret adverſa, inprimis quòd peccatis ſuis hæc omnia & plura mereretur; tum quòd nullo indicio certiùs verus DEI amor, quàm adverſis ferendis probaretur; deinde quòd æterna præmia, quæ DEUS diligentibus ſe præparavit, id exigerent, ut priùs amara guſtarentur. Excitabatur mirum in modum contemplatione dolorum Chriſti, ex ſumma paupertate, & rerum omnium indigentiâ, inter inſidias hoſtium ſuorum, infinitas calumnias tolerantis, ut etiam à dæmone infeſſus crederetur, denique morte acerbiſſimâ ad ſolatium inimicorum, cœlum inter & terram medius penderet, & nudus extruderetur è vita.

V. His cogitationibus armatus, ſuſtinebat acerbiſſima quæque, & qui maximè adverſabantur, eos in verorum Amicorum numero computabat. Jam Lib. 1. dixi, ab eo mihi relictam ſchedulam plenam charitatis affectibus erga Patrem quendam, qui zelo non ſatìs prudenti *Ven. Patris* conatibus prætextu boni communis obſiſtebat; hunc *P. Nicolaus* velut ſui amantiſſimum venerabatur, commendabat unicè, non ſimulato & fucato affectu, ſed verâ charitate admonebat, ſi quid adver-

versùs eum moveri sensisset, vias monstrabat, quibus evitaret omnia, & securum se præstaret; quod cùm etsi serò, tandem prædictus Pater notâsset, & sincerum erga se *P. Nicolai* animum deprehendisset, admirari primò, tum deinde revocare sententiam, & quæ dixerat sinistrè de *Ven. Patre* palàm & coram omnibus retractare cœpit, cúmque paulò pòst gravi morbo correptus, ad vitæ finem pervenisset, vocato me intermortuis vocibus hæc ingeminavit: *En morior, mi Magister!* & cùm diu antè sanctitatem *Ven. P. Nicolai* irrisissem, & magnam causam vexationum, & adversitatum ei præbuissem, hoc extremo vitæ articulo DEUS benignus aperuit oculos, ut viderem, quanto apud DEUM in pretio vir ille sit, & quàm vero amore me nihil tale merentem dilexerit; vos proinde, Magister, meas morientis vices agite, cum lacrymis deprecor, quidquid adversùs Patrem egi; gratias ago pro tam sincero ejus in me affectu, & animam meam, quæ nunc abit è corpore, illius charitati commendo; ac brevì interjecto tempore piè decessit.

VI. Quod de imitatione Christi dolorum paulò antè dixeram, disertè affirmat *P. Wenceslaus Schvvertfer* (*adhor. ad Christum Crucifixum. c. 15. part. 1.*) cujus opuscula spiritualia vulgata, magno habentur in pretio. *Nicolaus Lancicius*, inquit, *vir eximiâ probitate, ac doctrinâ in spiritu insignis*,

Christi pendentis effigiem ad solis radios erigebat. Cúmque totam radijs solaribus penetratam videret, desiderabat amore Crucifixi crucibus & doloribus in eundem modum penetrari, ut simillimus Christo patienti, quoad internas præsertim afflictiones, evadere posset. Quibusdam deinde jactatus procellis, ad hanc tabulam sese recipiebat, & heroicâ victoriâ scripto ad pedes Crucifixi projecto, protestabatur se omnibus parcere Adversarijs, & rogare à Christo, ut omnes Adversarij sui, magnâ in terris & cœlo gloriâ potiantur. Hoc actitantem Senem deprehendit in Domo Professa Pragensi *P. Godefridus Schubertus,* quem hoc libro sæpius citavi: *Ingressus Senis cubiculum,* inquit, *video, quòd Crucifixum suum aliàs in Oratorio expositum, in fenestra suspenderit; lucebat autem tum sol serenissimus, ita ut radij latera Crucifixi utrinque illuminarent. Petij, cur Crucifixo novum in fenestra locum designâsset? vide, respondit, quàm lucidè per orbiculos illuminatos à sole meus JESUS Crucifixus appareat! mox arrepto ex fenestra Crucifixo ingenti spiritûs impetu in medium cubiculi prosilijt, clamans: O! quàm vellem sicut in radijs vidisti, ità Crucifixi amorem in meo corde splendescere!* Ante hoc Christi Crucifixi signum, idem ultimò nominatus *P. Godefridus* orationem, quam *P. Lancicius* ad Crucifixi pedes affixerat & legebat quotidie, dissimulanter descripsit: *Domine mi, Pater amantissime, cùm sciam, quòd tu soleas*

in

in eos animadvertere, qui affligunt servos tuos: propter infinitam bonitatem tuam, rogo te parce eis, & da illis in hac vita favores, amores & honorem: sinas eos apud omnes felicitate excellere, & copiosissimis tuæ bonitatis thesauris, & gratijs abundare. In me verò converte omnia mala hæc, quæ in eos conferres. Ego solus conculcer, spernar, conspuar, & fiam omnium pavimentum, propter quàm maximam cordis tui dulcissimi exhilarationem.

VII. Hoc etiam solenne habebat *P. Nicolaus*, ùt omnes oblocutorum suorum actiones apud se benignè interpretaretur, quin & laudaret, dixítque mihi non semel: agere se DEO gratias, quòd plerique eorum, qui sibi adversarentur, & apud alios famam suam vilifacerent, id sinè óffensa DEI (ùt ille putabat) præstarent; quippe zelo boni communis, aut alio honesto fine permoti. Audiebat cum summo solatio, quoties oblocutorum suorum aliquis, qui minùs rectè de ejus virtute sentiebant, aliquod honoratum munus, aut gloriosum, lætúmque aliquid consequeretur, & optabat maximè ijs subesse, ut majorem potestatem, virtutem ipsius exercendi & humiliandi haberent.

VIII. Cùm in hanc Provinciam, in qua ignotus erat, in qua sibi multa adversa obventura prævidebat, solo obedientiæ studio proficisceretur, quocunque aspiceret, meras, & innumerabiles

cruces magnas & parvas offerri menti ſuæ videbat, ſic ut expectatione & deſiderio tot crucum affligi animo cœperit. *Neſviſij* apud Lithvanos cùm Sacrum Miſſæ faceret, in Sacello templi noſtri Skorulſciano, totum, quantum patebat altare, crucibus diſtingvi vidit; alio tempore totum Collegij commune hypocauſtum, nil niſi crucibus depictis conſtare, ſimúlque quid ea res ſignificaret, divinitus intellexit, ut nihil eo tempore præter crucem Chriſti cogitare aut ſcribere poſſet. In ſecreto libello eo tempore hæc annotavit. *Ibis libenter, quò mitteris, quia hâc mutatione Provincia privabis te omnibus conſolationibus humanis, quas hîc habebas notus domi, & foris, & in honore nimio ac opinione multiplici bona habitus, ibi autem manebis ignotus & inglorius, quod magnum DEI beneficium eſt. Ibis libenter, quia hæc mutatio faciet, ut in ſenectute tua, panem (ùt dicitur) quæras in aliena Provincia, de qua non es bene meritus, utì es de tua, atque ita fiet, ut tua merita humanitus pereant, & quæ inde ſequitur gratitudo, & veneratio, & amor, apud tot perſonas, præſertim Filios tuos ſpirituales. Ibis libenter, quia hæc mutatio erit occaſio multorum diſcurſuum & interpretationum ſiniſtrarum, de cauſa & modo, quo procurata eſt, & hâc occaſione non addicti lætabuntur, & liberiùs carpere poterunt, tum dicta, tum facta, quod etiam magnum DEI beneficium eſt, & primo majus ac deſiderabilius. Ibis liben-*

libenter, & nulli explicabis, quomodo hæc res transacta est, nec cruces impedies oblocutionum, nec procurabis ullam tui commendationem à nostris in Provincia, ad quam proficisceris: nec rogabis, ut ad te epistolæ dentur, ut puteris nullius fuisse apud tuos reputationis, & tanquam è vulgo unus.

IX. Hæc erant cœlestia & prorsus divina Sancti Viri solatia, quæ ità placuisse DEO videntur, ut ejus animam novis ac novis doloribus non cessaret cumulare, eúmque ad majores & graviores præparare. Plerumque accidebat, ut imminente aliquâ adversitate significatio præcederet venturæ in bonum senem calamitatis (ea significatio potissimùm Missæ tempore, & sub recitatione sacerdotalis officij fiebat) quo nuncio ille recreatus magnificè sese in animo efferebat, & sibi plaudebat; sed ea res etiam vertebatur in dolorem, cùm adversitates differrentur, quarum expectatione non parùm torquebatur, ideóque amantissimus Dominus ità langventem *Nicolaum* immissis de Christi dolore imaginibus recreabat: offerebantur menti mille species crucis, repræsentabatur etiam Christus crucem bajulans, nonnunquam etiam videbat ad sepulchrum vulneribus coopertum deferri, mortuali pallore nostri Servatoris sentiebat vehemens desiderium excitari in se ad commoriendũ, ut ei consepultus viveret in perpetuo dolore, quod summam beatitudinem esse existimabat, optassétque

que eas cruces & adversitates etiam in alteram vitam protrahi, & in omnem æternitatem produci; nihil enim pretiosius ducebat, quàm Christum morientem in doloribus, quoquo modo posset, imitari, & exprimere; & videbatur adversitates, quæ Seni obvenerunt, divina providentia Sacerdotio *P. Nicolai* conjunxisse. Nam adversorum significationes, ùt dixi, in Sacris contingebant, & ipse *P. Nicolaus* fatebatur, ante Sacerdotium susceptum, omnibus amabilem, & gratum se fuisse; at suscepto Sacerdotio adversis continenter pæne exercitum, nunquam ferè usque ad extremam ætatem vacâsse dolore, quod pro beneficio & amore in se Divino accipiebat; nunquam desinens agere gratias, acsi læta & prospera evenissent.

X. In hoc statu cavebat solicitè, nè coram hominibus quereretur, imò omnia quæcunque dolorem lenire possent, aversabatur, nec quidem ab ipso DEO liberari orabat, solatio indignum se existimans, auxilium tamen & gratiam divinam ad perferenda omnia ardenter implorans. Si quando oratione Sanctorum peteret in virtutibus adjuvari, hoc semper disertè excipiebat, nè sibi dolores, cruces, & adversa minuerentur, sed potiùs eorum intercessione augerentur, ut quasi adversis immersus, & corpore, animóque contractus, in mærore & desolatione jaceret: *Hoc*, ajebat, *& non aliud Domine, sit condimentum & solatium, crucis, dolorum,*

rum, afflictionum, & angustiarum mearum, novas & majores subire cruces, & nunquam cessantibus afflictionibus, propter te DEUM meum semper abundare. Alio in loco exclamat: *Da Domine, ut omnia negativa, & positiva, quæ in mei commendationem, favorem, defensionem adhibebuntur, cedant in mei amaritudinem, summam afflictionem, depressionem, humiliationem, & omnem possibilem contemptũ, &c.* Hæc ultra ætatis septuagesimum annum quotidie Dominum orabat, & ex suo secretiore libello post Sacrum legebat.

XI. Dicebat: DEO se donâsse vitam suam ad omnia perferenda adversa, ideò sibi retractare non licere, sed in crucibus sibi vivendum, & moriendum; maximéque DEUM precabatur, ut in morte accumularet dolores, angustias, & omnis generis cruces, ut Christo violentè & atrociter è vita sublato consepeliretur. Persvaserat jam pridem sibi, nihil unquam injuriosum accidere sibi posse, omnia esse commeritum, proinde nullos hostes habere, etsi quàm maximè hostilia adversùs se molirentur; unde quotidie orare solitus est: *Concede Domine JESU per merita vitæ & passionis tuæ, ut propter te ex corde reputem: omnem contemptum, honores; injurias, favores exquisitos; infamiam, meam famam; convitia, laudes; contumelias, exaltationes; opprobria, beneficentiam; aversiones à meis rebus, & à me, benevolentiam cordialem; afflictio-*

ctiones, & quasvis cruces, jubilos, gaudia, coronas. Hoc meum judicium, hæc mea immobilis voluntas. Da ergo occasiones perpetuas, & nunquam deficientem materiam, pro tui amore multa tolerandi. In quodam arcani sui libelli loco sic loquitur: *Quemadmodum spinæ, & aculei res, quibus adhærent, uniunt inter se, ita te quoque spinæ omnium dolorum hujus vitæ unire debent DEO tuo ex amore ejus, te cum maximo doloris sensu pungendo, DEUM verò maximè tuis puncturis, & afflictionibus consolando, sinè ulla consolatione, & refrigerio tuo.*

XII. In officij divini recitatione, quoties in Psalmis ab adversarijs liberari *Regius Propheta* petit, vel hostibus mala precatur, vel à DEO auxilium contra inimicos implorat, nunquam *P. Nicolaus* hos versus ad eos, quos sibi minùs faventes experiebatur accommodabat, sed vel ad dæmones, qui malis nostris gaudent, vel si ad eos sensus verborum applicari non posset, ad *Ecclesiæ Persecutores* aptabat, nè eorum artes dolosæ, vis, & arma *Sanctæ Ecclesiæ* nocerent, ut humiliarentur, vincerentur, exstirparentur; sibi verò (quod toties in die ardentissimè expetebat) cruces multiplicarentur, omnésque minimæ corporis particulæ, sensus, & animæ facultates summis cruciatibus afficerentur, & anima ipsa pertranseunte gladio novo semper cum dolore transverberaretur; essétque memoria Christi instar

ſtar ſigilli profundiſſimi, ut in anima ſua tanquam in cera molli exprimeret omnes anguſtias, cruces, & triſtitias, quas ipſe Dominus à primo ſuæ Conceptionis inſtanti expertus eſt, uſque dum moreretur in cruce. Hâc ratione lignum crucis, amarum aliàs, *P. Nicolao* dulceſcebat.

XIII. Solebat *Confeſſorum*, qui multa pro DEO paſſi fuiſſent, vitam & mortem, *Sanctorum Martyrum* tormentis comparare, imò etiam præferre multis de cauſis: quòd hæc brevia fuerint, & brevi tempore tolerata, illa verò per omnem vitam extenſa; hæc cum gloria, & laudationibus peracta, illa nulli ferè, niſi pauciſſimis nota, taceantur, & DEO uni ſint cognita; ideóque etiam hujus ſæculi filij, qui vulnera, & dolores magno animo perferunt, ad verborum aculeos exſurgunt, & implacabiliter per mille pericula vitæ, dolorem ſuum ulciſci conantur; lingvæ enim gladius acutiſſimus eſt, ùt *Sancti Patres, Auguſtinus & Chryſoſtomus*, notàrunt, & quod de divino verbo Sacræ Literæ dicunt, hoc de malevolorum lingvis dici poteſt, quòd ſint *penetrabiliores omni gladio ancipiti, & perveniant uſque ad diviſionem animæ, oſſium & medullarum.*

XIV. At bonus *Pater* omnem vindictæ ſpeciem procul à ſe etiam cogitatione removerat, nunquam in illorum, qui ſiniſtrè de ſe ſentiebant, & loquebantur, acta inquirens, eóſque ſinceriores

Ami-

Amicos, quibus ſecreta ſua aperiret, reputans. Quòd ſi etiam literas, ùt àliquando contigit, adversùs ſe ſcriptas acquireret, ſummo cum gaudio, poſtquàm multis oſculis honorâſſet, imponebat capiti, ſignificans, ſe earum Scriptores diligere, & pro amicis ſingularibus habere, erátque axioma ejus ſpirituale, *iſti ſunt veri amici, qui nos Chriſto ſimiles reddunt, & per cruces viam ad cœlum faciunt*! aliquando addebat: *ô dulce Crucis lignum! dulces clavos, dulces calamos, qui falsò & ſinè merito nos depingunt*. Nullum menſem abire ſinebat, quo divinam hoſtiam pro adverſantium ſibi temporali & æterna felicitate DEO non offerret, quódque notari meretur, quoties in *Miſſa* pro eis oraret, non illam Orationem, quæ eſt pro inimicis, recitabat, ſed quæ ab *Eccleſia* pro devotis amicis deſignatur. Ultimò denique cùm dilexiſſet inimicos ſuos, ex paupertina ſua ſupellèctile moriens, potiorá munuſcula religioſa cum bona *Superiorum* gratia illis legavit, & miſit, vero charitatis affectu, à quibus, vel quorum causâ plurimùm pati contigerat.

CAPUT VI.

Virtutes Theologicæ, ac Fides in DEUM Ven. P. Lancicij; mira ejus pietas in SS. Euchariſtiam, ac Sanctos.

I. Ad

I. AD Virtutes *Theologicas* faciamus gradũ, primáque occurrit *Fides*, cujus habitum cœlestem tam firmiter *P. Nicolaus* animo suo impressit, ut affirmaret ex quo *Religioni Catholicæ* nomen dedit, nunquam se ullâ adversùs Fidem cogitatione esse pulsatum. Detestabatur, & deflebat puerilem suam hæresim multis lacrymis, quam ego tamen solùm *materialem*, ùt dicimus, fuisse semper ex omnibus adjunctis existimavi.

II. DEI Matris (quæ cunctas hæreses interemit in universo mundo) memoriam dulcissimè & quasi in medullis, ùt antè dixi, ferebat, ejúsq; honori & amori duo quotidie rosaria, ùt vocamus, dependebat; sed longè teneriori, quò justiori in *SS. Eucharistiam* ferebatur affectu, illâ cogitatione præcipuè, quòd de gloria sua cœlesti in terris multum detrahens *DEI Filius* nobiscum in *Eucharistia* latens, à paucis colatur, ab hæreticis etiam maledictis incessatur; ob eam causam lecto manè exiliens statim versùs *Eucharistiam* genua ponebat, adorans, eámque adorationem in omnia Orbis templa extendebat, maximè in desertas Ecclesias, ubi *Christus in Eucharistia* latens, à paucis vel nullis omnino salutaretur:

III. Quoties *Sacræ Eucharistiæ* particulas populo dividebat, liquescebat animo, multóque ambitu precum apud templi *Custodes* & Æditos impe-

petrare ſolebat, ut quoties veteribus hoſtijs, novæ ſupponendæ eſſent, quoties major hoſtia populo adoranda, & in longius etiam tempus (ùt in quadraginta horarum precibus, & alijs per annum diebus) ſolenniter proponeretur, quoties magno numero affluerent communicantes, & hujuſmodi curæ *Eucharisticæ*, ùt purgatio ſacrorum vaſorum, & lotiones purificatoriorum, ùt vocamus, expediendæ eſſent, in eam rem ipſemet *P. Nicolaus* adhiberetur, hos ſibi demereri, & devincire ſtudebat. Itaque Sacriſtarum nutus obſervabat, qui ei etiam vel cum alijs loquenti ſignum dabant, cùm ſcirent gratiam ſe apud *Patrem* inituros, continuóque breviter concluſo ſermone properabat ad gratiſſimos labores.

IV. Nondum Sacris initiatus octo diebus ſanctam *Eucharistiæ*, ut ità loquar, famem perferre non poterat, ſed minimùm ſemel feriâ quintâ menſam cœleſtem accedebat; ídque etiam ſuis in ſpiritu filijs poſteà commendabat, omnémque cauſam captabat cœleſti pane veſcendi; cùm divino *Miſſæ Sacrificio* nondum Sacerdos adeſſet, eo ſe componebat loco, unde Chriſtum ſub ſpeciebus latentem ſemper aſpiceret, quo aſpectu fatebatur nihil eſſe in terra, quod ſibi offerri poſſet, jucundius. Perpetuum hoc erat *P. Nicolao* obſervare quâ parte cubiculi Dilectus ſuus in *Eucharistia* moraretur in templo, illuc affectus ſuos omnes

omnes mittebat, cavebátque ſolicitè, nè unquam tergum obverteret; res eſt modica, ſed ad memoriam *SS. Euchariſtiæ* ſtabiliendam perutilis.

V. Erga ſacras imagines, quæ nonnunquam in velis & tegumentis ſacrorum calicum, & in pallis (uſitatâ templorum voce loquor) pinguntur, vel texuntur, mirè afficiebatur; ſi verò ornamenta altarium ex auro & argento vel aliâ quapiam arte & pretio ornata videret, præ teneritudine affectûs, etiam clamore ſublato benedicebat DEO, quòd hanc mentem magnificam Benefactoribus inſpirâſſet, ut in DEO divites eſſe vellent, ut Chriſtus ad nos in terras cœlo deſcendens, digniùs habitaret, proinde lætam æternitatem, ijs qui donaverant, precabatur.

VI. Cùm templa aut altaria, ubi *SS. Euchariſtia* aſſervabatur, præteriret, novis conſiderationibus excitabat animum, ut fortiùs ipsâ varietate refectus, Chriſto Domino inhæreret; jam ſibi repræſentans Chriſtum in ſolio ſuæ *Majeſtatis* ſedentem, jam velut in *Judæa* olim ſtantem & populum ad ſe vocantem, jam hunc vel illum ſacri *Evangelij* ſermonem ad populum proferentem, denique tempori ſacro ſeſe accommodans, in Adventu Chriſtum in utero *Virginis Matris*, *Nativitatis* tempore velut in *Præſepi* jacentem & flentem, aliàs verni jejunij tempore in contemptu, dolore, & varijs acerbiſſimæ Paſſionis myſterijs la-

borantem, aliàs in cruce pendentem, & latroni veniam dantem, aut *Magdalenam* salutantem, in *Eucharistia* & ipse salutabat; quod cùm aliquando in *Collegio Romano* ante altare ejus *Litanias* cũ alijs recitans, cogitaret, subitò commoveri sibi cor affectu in Christum sensit, tam forti, támque insitato, ut copioso sudore toto corpore profuso, pro Christi in *Sacramento* præsentia ad mille mortes subeundas paratum se offerret. Ut *Hæreticos* & à fide nostra alienos non verbis tantùm, sed & factis refelleret, illas magis cæremonias usurpabat, iísque teneriùs afficiebatur, quæ ab illis maximè ridentur; hinc *Octavam Corporis Christi* totam quàm maximè publico cultu, & gloriâ per urbem instaurari gestiebat, & quidquid celebritatis addi poterat, studiosè excogitabat.

VII. Totus ardere videbatur, quoties de pertinacia *Hæreticorum* in erroribus suis tuendis mentio fieret: eam ob causam à prima ætate sui in *Societatem* ingressûs, divinam scripturam, & in eam *Commentarios Doctorum Virorum* volvebat assiduè eo fine, ut ad confutandos *Hæreticos* accederet paratior. Et verò aliquot *Commentarios* controversiarum fidei potentissimis pro Religione nostra argumentis refertissimos conscripsit, quorum aliqui ex ijs Libris lucem aspexerunt, ùt Lib. 1. narravi, ac utile sanè foret, & gloriosum reliquos etiam Controversiarum Libros vulgare, si ab ijs, qui servant,

vant, proferrentur. Simili affectu in eos Doctores ferebatur, qui impia *Hæreticorum* dogmata refutâssent; benedicebat, si viverent, absentibus; si jam obijssent, gratias pro causa Domini sui & *Ecclesiæ* suæ sponsæ strenuè defensa agebat,& si quod novum argumentum, aut lumen, ex eorum libris hausisset, mirâ perfusus voluptate, iterum, iterúmque gratias repetebat.

VIII. Aquæ lustralis usum frequentissimum habuit, & quoties intraret aut exiret cubiculo, addito pio aliquo affectu aspergebat frontem, utebatur autem aquâ à se benedictâ, & multis *Ecclesiæ* orationibus præconsecratâ; quam ejus in res, ùt vocant, *Sacramentales*, pietatem multis curationibus, & alijs miris eventis placere sibi *Divinitas* ostendit, ùt L. 3. commemorabitur.

IX. Qui rebus *Sacramentalibus* & cæremonijs *Ecclesiæ* tam piè deditus erat, de eo facilè est conjicere, quanto affectu ipsa cœlestia *Sacramenta* tractare sit solitus: *Missæ Sacrificium* cùm adesset frequens populus,nè cui molestiam pareret, non longiùs multò quàm mediæ horæ spacio, legebat; at ubi se non observari sentiebat, & pauci Sacro interessent, horæ spatium explebat, ac imitatione *Sancti Philippi Nerij*, & hostiam crassiorem, & vini consecrandi amplius aliquid in calicem affundebat, ut eâ ratione Christum Dominum apud se hospitem diutiùs haberet, & cum eo deliciaretur.

X. Diebus ſolennioribus per annum majori præparatione animi accedebat ad Sacra, fiebátque ſæpius, ut cœleſtibus in *Sacramento* paſtus delicijs, omnes cibos terreſtres faſtidiret, & de ſancta Chriſti carne cogitans cibos appoſitos ægrè poſſet aſpicere.

XI. Secundùm Chriſti humanitatem *B. Virginem*, & eos, quos nuper nominaveram Sanctos colebat affectu tenerrimo, imò & omnes cœli Cives ſæpius in die honorabat, & in eorum numerum adſcribi anhelabat, ad omnem horologij pulſum, præter uſitatas ſibi jaculatorias orationes adjiciens: *Omnes Sancti & Sanctæ DEI intercedite pro nobis*. Romæ dum degeret, ea potiſſimùm templa ſupplicaturus adibat, quæ deſeri vel minùs coli putabat, ut eâ ratione neglectum illum honoris debiti Sanctis quodammodo compenſaret, multas ibi variáſque illorum Sanctorum ope gratias cœleſtes impetrabat.

XII. Cùm aliquando, *Socio Tarquinio Gallucio*, in *S. Clementis* templum deſcendiſſet, & ad ejuſdem, & *S. Ignatij Martyris* ſepulchra oraret, miram quandam imaginem imprimi animo ſuo ſenſit, quâ vivaciſſimè momentò Sanctorum veterum vita repræſentabatur, maximè *S. Antonij Abbatis*, ſimúlque cœleſte quoddam lumen de auſteritate vitæ Sanctorum, & mundi totius contemptu oblatum eſt; quâ ille imagine oblatâ, humana

mana omnia ſibi vileſcere ſenſit, & vehementer ad perfectionem virtutum accendi. Alterâ mox die cùm in *S. Apollinaris* templo oraret, exortâ repentè cœleſti luce, oblata eſt ei clariſſima viſio de perfectione & vita ſancta plurimorum è *Societate*, ſimúlque accepit *Divinæ Majeſtatis* conſilium eſſe, ut *Societatis JESU Sanctitas* ignota vulgo eſſet, & à paucis intelligeretur; fore autem, ut in *Supremo Judicij Die*, glorioſiſſimam, & DEO charam *Societatem* fuiſſe mundo oſtendat DEUS, ut confundantur, qui eam perſecuti ſunt, & ſecundùm humanum diem ſiniſtrè ejus labores judicabant.

XIII. Gaudebat maximè, ſi ex noſtro & proximo nobis ſæculo authoritate *Eccleſiæ Beatis cœli Civibus* adſcripti cultui publico exponerentur: horum pauculas imagines in Officij Divini libro varijs locis interponebat; ſive ut eorum imitatione accenderetur pietas, cùm ſimiles nobis, & ex nobis tam fideliter Domino ſuo ſervierint; ſive in contemptum hodiernorum *Hæreticorum*, qui impiè hujus ſæculi virtutes in Catholicis irrident; ſive ut *Sanctitatem Eccleſiæ* ad nos uſque deductam oſtenderet; ſive quòd gauderet inter corruptiſſimos noſtri ſæculi mores extitiſſe tamen, qui virtutum ſuarum fragrantiâ & venuſtate divinos oculos & *Sanctorum* cælitum recrearet, ut Sacrarum Literarum phraſi dici poſſet, *odoratúſque Dominus, odorem ſuaviſſimum, & pepercit populo ſuo.*

XIV. *Initio Euangelij*, cùm *Missam* faceret, ſolicitè notabat, utrùm primis verſibus *SS. Nomen JESU* contineretur (quod in *Euangelijs* ſæpe accidit: *Dixit JESUS diſcipulis*, &c.) tum illud nomen oſculabatur, quod in ſacris ritibus præcipitur, addens interiorem affectum ſe credere verba illa eſſe JESU, quæ exprimere vivendo percuperet; quodſi conſtructio verborum duplex eſſet, poſterius verbum potiùs oſculabatur, quòd illud & non prius ſenſum perficeret, perfectámque dulciſſimi ac venerandi nominis ſignificationem exhiberet. *Patenam*, quam dicunt, Sacrum faciens, ità ſemper habebat diſpoſitam, ut *Sanctiſſimum JESU Nomen*, aut figura *Chriſti*, prout ab *Artificibus* ſolet apponi, v. g. *Agni*, *Pelicani* &c. digniore loco ſpectaretur, & in oculos incurreret; unde in Sene varij exoriebantur affectus. Idem ſedulò obſervabat, in orbibus, quos in menſa adhibemus, monebátque nos, quod memini, rem eſſe parvam, ſed DEO mirè placere deſiderium, ejus nomen etiam inter menſas, vel ſic exaltandi & glorificandi.

CAPUT VII.

Spes & fiducia in DEUM.

I. HÆc ſpei & fiduciæ in DEUM anchora, quâ unicè pendemus ex Cœlo, ſic animum *Patris Nicolai* occupavit & in ſub-

ſublime evexit, ut cum *D. Paulo* gloriari poſſet: *Scio, cui credidi, & quia depoſitum meum ſervabit.* Nam licèt ſub initia ſui in *Societatem* ingreſsûs multùm angeretur, & judiciorum DEI abyſſum ſecum reputans, vehementer percelleretur; tamen ùt primùm Sacerdotio initiatus eſt, omnem illum timorem abſtergi ex animo ſuo ſenſit, & in ejus locum ſuccedere ſolidam ſpem, & fiduciam in DEUM, ut ſecurè ad *Patriam* cœleſtem anhelaret in poſterum, nihílque mortem expaveſceret, neq; ſi ægrotaret, prorogari vitam peteret à DEO, niſi ea vitæ prorogatio cum majore DEI gloria jungeretur.

II. Ajebat Viros Religioſos ex præſcripto Regularum ſuarum viventes, injuriam videri DEO facere, cùm tam anxiè noviſſima vitæ pertimeſcunt, cùm tam clara & liquida promiſſio à Chriſto facta ſit, (Matth. 19. v. 29.) *centuplum accipient, & vitam æternam poſſidebunt.* Hanc eſſe promiſſionem certiorem, quàm ulla humana legata divitum, quæ ſæpe evertuntur; certiorem, quàm omnes Regum pollicitationes, quàm omnes *Angelorum* apparitiones, cùm DEUS Sacris Literis verbo ſuo divino, nos ſecuros de æterna vita reddiderit.

III. Neque ſolùm æternam beatitudinem *Ven. Pater* ſpe præceperat, ſed etiam DEI auxilijs, ſinè quibus conatus noſtri omnes ſunt irriti, ſperabat

XIV. *Initio Euangelij*, cùm *Missam* faceret, ſolicitè notabat, utrùm primis verſibus *SS. Nomen JESU* contineretur (quod in *Euangelijs* ſæpe accidit : *Dixit JESUS diſcipulis*, &c.) tum illud nomen oſculabatur, quod in ſacris ritibus præcipitur, addens interiorem affectum ſe credere verba illa eſſe JESU, quæ exprimere vivendo percuperet; quodſi conſtructio verborum duplex eſſet, poſterius verbum potiùs oſculabatur, quòd illud & non prius ſenſum perficeret, perfectámque dulciſſimi ac venerandi nominis ſignificationem exhiberet. *Patenam*, quam dicunt, Sacrum faciens, ità ſemper habebat diſpoſitam, ut *Sanctiſſimum JESU Nomen*, aut figura *Chriſti*, prout ab *Artificibus* ſolet apponi, v. g. *Agni*, *Pelicani* &c. digniore loco ſpectaretur, & in oculos incurreret; unde in Sene varij exoriebantur affectus. Idem ſedulò obſervabat, in orbibus, quos in menſa adhibemus, monebátque nos, quod memini, rem eſſe parvam, ſed DEO mirè placere deſiderium, ejus nomen etiam inter menſas, vel ſic exaltandi & glorificandi.

CAPUT VII.

Spes & fiducia in DEUM.

I. HÆc ſpei & fiduciæ in DEUM anchora, quâ unicè pendemus ex Cœlo, ſic animum *Patris Nicolai* occupavit & in ſub-

ſublime evexit, ut cum *D. Paulo* gloriari poſſet: *Scio, cui credidi, & quia depoſitum meum ſervabit.* Nam licèt ſub initia ſui in *Societatem* ingreſsûs multùm angeretur, & judiciorum DEI abyſſum ſecum reputans, vehementer percelleretur; tamen ùt primùm Sacerdotio initiatus eſt, omnem illum timorem abſtergi ex animo ſuo ſenſit, & in ejus locum ſuccedere ſolidam ſpem, & fiduciam in DEUM, ut ſecurè ad *Patriam* cœleſtem anhelaret in poſterum, nihílque mortem expaveſceret, neq; ſi ægrotaret, prorogari vitam peteret à DEO, niſi ea vitæ prorogatio cum majore DEI gloria jungeretur.

II. Ajebat Viros Religioſos ex præſcripto Regularum ſuarum viventes, injuriam videri DEO facere, cùm tam anxiè noviſſima vitæ pertimeſcunt, cùm tam clara & liquida promiſſio à Chriſto facta ſit, (Matth. 19. v. 29.) *centuplum accipient, & vitam æternam poſſidebunt.* Hanc eſſe promiſſionem certiorem, quàm ulla humana legata divitum, quæ ſæpe evertuntur; certiorem, quàm omnes Regum pollicitationes, quàm omnes *Angelorum* apparitiones, cùm DEUS Sacris Literis verbo ſuo divino, nos ſecuros de æterna vita reddiderit.

III. Neque ſolùm æternam beatitudinem *Ven. Pater* ſpe præceperat, ſed etiam DEI auxilijs, ſinè quibus conatus noſtri omnes ſunt irriti, ſperabat

ſinè pœnis *Purgatorij* poſt mortem evaſurum in cœlum; ſpei hujus fundamenta ſuper potentiam ac miſericordiam DEI, ſuper merita Chriſti, *DEI Parentis Virginis*, aliorúmque Sanctorum jactabat, & quia ſperantibus in ſe bonus eſt DEUS: licèt ipſe humilitate profundiſſimâ ſeſe abjiceret, & ſibi tanquam vas perditum factus eſſet.

IV. Cùm verò cogitaret difficilem eſſe in cœlum, & paucis conceſſum ſinè expiatorio igne acceſſum, quoties nævum aliquem ex fragilitate humana, adhæreſcere ſibi ſentiret, totum ſe dabat dolori & lacrymis, ut ejuſmodi macula protinùs deleretur, hanc precationem ad horæ cujuſvis ſonum inter alios ſibi uſitatos affectus uſurpans: *expurga nos omnipotens, & miſericors DEUS, à quavis culpa, pœna, & reliquijs peccati, quæ deteſtor ſuper omnia mala, propter te DEUM meum ſummè dilectum.*

V. Cùm aliquando dixiſſet ſubitaneam mortem ſibi minimè timendam videri, & contrà adferret aliquis *Eccleſiæ* ſenſum contrarium eſſe, quæ DEUM precatur, ut à *ſubitanea & improviſa morte* nos liberet, reſpondit *P. Nicolaus* ſibi non poſſe mortem ſubitaneam, & improviſam evenire, cùm in horas ſingulas ſe ad eam compararet, & omnia quæ formidabilem illam reddere poſſent, omni ſtudio removeret.

VI. Nihil tam arduum & difficile *Patri* videba-

batur, quod non magno & intrepido animo aggrederetur, & duabus alis sublevari se, & robur addi dicebat, eásque alas esse *obedientiæ imperium, & spem ac fiduciam in DEUM.* Difficultate in negotijs repertâ, quæ humanâ industriâ superari videbatur non posse, contra omnium opinionem gaudebat, & spem sibi augeri dicebat, quòd totum negotium ad DEUM esset devolutum, qui & vellet (*Majorum* enim imperia pro divinis habebat) & posset unus efficere; itaque certus quodammodo de auxilio DEI nihil sibi reliquum esse putabat, quàm orare DEUM, & cœleste auxilium expectare. Inter negotia gravissima fuit An. Dom. 1608. cùm exortis inter *Academiam Vilnensem* nostram & *Schismaticos Ruthenos* pertinacissimis dissidijs, isti *Academicos* nostros contra omnia *Academiarum Jura, ac Privilegia, ad Judicia,* quæ vocantur *Tribunalitia,* provocârunt. Sedebant in his *Judicijs 27. Judices Hæretici*, nec dubia erat, *Hæreticorum* victoria; si resisterent Nostri, vis ac tumultus timebatur; quòd si etiam *Privilegia Academiæ*, secundùm nos, *Judices* interpretarentur, tamen præjudiciosum & mali exempli erat futuris temporibus, *Academiam Tribunalibus Externorum* subjicere. Huic negotio tam arduo tractando *Majores* nostri *P. Nicolaum* constituerunt, juvenem adhuc & nuper *Româ* reducem, & ùt videri poterat, talium rerum inexpertum; is tanquam

ſibi commiſſum à DEO negotium, intrepidus aggreditur; cùm ecce per quietem *Edmundus Campianus*, aſpectabilem ſe *P. Nicolao* præbet, & illato de *Academiæ* negotijs ſermone, ſecuram & certam *P. Nicolao* victoriam promittit, quam ille multa cum reverentiæ & gratiarum ſignificatione accepit Veritatem dicti exitus comprobavit; glorioſâ victoriâ de *Schiſmaticis* reportatâ.

VII. Huic non abſimile eſt, quod Romæ ſub *Clemente VIII.* evenit *P. Nicolao*: ardebat ille, & incitari ſe mirum in modum ſentiebat, ut *B. Stanislai Koskæ* imaginem publico cultui exponeret. En tibi divinum auxilium! *Chriſtus DEI Filius* oranti *P. Nicolao*, & cauſam hanc, quam ei potiſſimùm commendaverat, iterum offerenti, ſe videndum præbet, & hilari vultu palàm apparens, protensâ dextrâ manu candidum folium dimittit, in quo pulcherrimo charactere ſcripta hæc verba legebantur: *fiet tibi, ſicut vis*; relictâ in animo *Patris Nicolai* ingenti certitudine felicis eventûs, quod multis ante factum hebdomadis *Simoni Jenerio* aperuit *Nicolaus*, impetratúmque eſt apud *Clementem VIII.* An. 1605. die 14. Auguſti interveniente *Duciſsâ Sforcianâ*; quo ipſo die tantis lætitijs incedebat Pater, nihil adhuc de conceſſione *Pontificis* ſciens, ut ſeſe vix caperet, donec cauſam ad finem deductam cognoviſſet.

VIII. Mirius, & inſolitum magìs eſt, quod ſequi-

quitur: quod *Cracoviæ* degenti *Patri*, & in negotio difficili coram Crucifixo oranti contigit, quod in Lib. 3. differimus. In necessitatibus *Collegiorum* cùm rei familiaris angustiâ premeretur, & *Rectoris* munus gereret, solâ oratione frequenti & fiduciâ in DEUM repositâ *Collegium* sustentabat, impetratis pecuniarum summis, & in arca vel pluteo repertis, quod ei sæpius evenisse suo loco commemorabitur. Expertus ergo DEUM sperantibus in se beneficum, & ad miraculum liberalem, non cessabat commendare spem & fiduciam in DEUM; DEUM in Sacris Literis apertè promisisse, non deserturum eos, qui in se speraverint.

IX. Oderat maximè eos, qui parsimoniæ nescio quo colore, veriùs tenacitatis & avaritiæ vitio, res ad victum *Collegij* necessarias, vel reservant, vel malignè dispensant, vel corrumpi sinunt; sperarent saltèm, si ipsi digni non essent, quos DEUS pasceret, reliquos filios DEI ejus servitio & amori vitam suam omnem consecrantes, non permissurum necessarijs auxilijs destitui. Evenit aliquando, ut initio Quadragesimalis jejunij *Celsissimus Princeps Wenceslaus de Lobkovvicz Sagani Dux*, magnum numerum lectissimorum carpionum in Domicilio quodam *Societatis* degenti *Patri Nicolao*, cum quo sincera ei familiaritas intercedebat, mitteret; jam tertiâ septimanâ jejunij nullus carpio comparebat in mensa, accesseram

ego

ego *P. Nicolaum*, pro more ex altero quodam *Societatis* in eadem Urbe domicilio; dum familiariter loquimur, Senex, qui multa communicare mecum solebat, non conquerendo, sed rem candidè narrando, ait, sibi missos esse pisces, & jam tanto tempore ad mensam Nostrorum non venire: saltèm tenendam esse consvetudinem primævæ sub *S. Fundatore Societatis*, ut cùm uni Nostrorum aliquid esculenti mittitur, quod in omnes sufficere possit, ei separatim, cui missum est, quasi grati animi causâ major aliqua, vel melior ejus esculenti portio mittatur; hoc se ex *P. Consalvi Diario, Ministro Domûs sub S. Ignatio* didicisse, & exempla plurima hujus *S. Ignatij* charitatis in suos excitare. Tum subjecit *P. Nicolaus*: *crede mihi charissime, ob eam tenacitatem hos carpiones non comedemus.* Dictum factum: eâdem vel sequenti nocte excrevit aquis *Muldava*, tantóque impetu in cistam piscariam nostram irruit, ut omnes catenas ferreas, quibus ripæ alligabatur, abruperit, secúmque cistam ferens, & in obvia quæque impingens, totam confregerit, & pisces liberos in *Alveum* fluminis effuderit. Hoc idem œconomiæ *Domûs Curatores*, & Pater cùm ad eum iteratò venissem, narrârunt; addens *justam hanc esse pœnam, simúlque monuit: ut si quando Nostris alendis praeessem, DEI liberalitatem ac bonitatem cogitarem; esse illum amantissimum Patrem nostrum, & benigniorem,* quàm

quàm vel cogitando assequi possimus, magis illos juvare, qui magis sperant, & hanc semper fuisse magnorum Sanctorum in DEUM spem & fiduciam; tum Pater innumeris SS. Virorum exemplis allatis, quod dixerat, comprobavit.

X. Inter immutabiles vivendi leges hanc sibi etiam præfixerat: *Cùm fide divinâ credas DEUM in dictis suis veracem; ostende practicè tuis factis te id credere, & in simplicitate cordis omnia difficilia, sinè examine sententiæ accepta. Ex. gr. DEUS dixit, diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. Ideo nè formides, dum adversitates ingruunt, proderunt, non nocebunt, & si videbuntur mundi judicio nocere, hoc nocumentum pro DEO toleratum, majus est mundanâ omni utilitate. Dixit DEUS: petite & accipietis; pete, & certò expecta Sanctitatem vitæ, quam etiam à tam multis annis quotidie petis. DEUS dixit: qui miseretur pauperis, fæneratur Domino. Ideo sis liberalis dum potes erga pauperes, certò nihil perdes, sed lucraberis etiam temporalia.*

XI. His principijs nitebatur *Ven. Pater*, addebat nullam aliam esse causam, quod in certis Provincijs tanta esset paucitas *SS. Virorum*, quàm quòd nescirent *de DEO in bonitate sentire*, sed ordinario vivendi modo contenti, nihil sublime in virtute peterent à DEO, qui paratior est dare, quàm nos accipere, unde frigida quædam fiducia ex-

excitetur in illis, & ſpeculativè magìs, ut ità dicam, quàm practicè in DEI manus, quæ pleniſſimæ ſunt divitijs, & beneficijs cœleſtibus, ſeſe projiciant, cum quadam divinæ liberalitatis in homines infamia, & cum ſuo incredibili damno; quia DEUS ejuſmodi hominum parvæ fidei, & fiduciæ ſeſe in donis accommodat; ídque dicebat, maximè apparere in ijs, qui rebus temporalibus præſunt, qui horrea & cellaria, non DEI in ſuos ſervos ac filios providentiam ſpectant, toties *Euangelij* oraculo promiſſam, & tot exemplis comprobatam. Verbo hoc Caput abſolvam: omnia quæcunque per *P. Nicolaum* patravit DEUS, fiduciæ in DEUM ſunt præcipuè adſcribenda, qui tantâ firmitate animi fidebat DEO, ut in neceſſitatibus ſuis certus ſibi videretur, conjectis in ejus bonitatem oculis, DEI auxilium non defuturum, quo affectu permunitus, omnia difficilia & ardua facili negotio ſuperabat.

CAPUT VIII.

Amor erga DEUM.

I. Cùm *Ven. P Nicolaus* toties de perfectionibus divinis meditando ſublimiſſimam de infinita *Majeſtate DEI Ideam*, & de infinita ejus bonitate & ſvavitate impreſſam circumferret animo, eámque gratiam, ùt Lib. 1. narravi, di-

divinitus accepiſſet, ut vigilans, à DEI præſentia, & ejus memoria ſeparari vix poſſet, quid aliud ad tanti DEI præſentiam & memoriam agere poſſet, quàm eum amare, & laudare, & in eo colendo mille affectibus occupari? Hoc illis, qui ei Conſcientiam aperuerant ſuam, & ejus conſilijs in ſpirituali vita regebantur, commendabat ſæpiſſimè, ut *divitias bonitatis DEI* infinitas, & infinitam ejus ad effundenda in nos cœleſtia ſua beneficia propenſionem cogitarent, & de DEO in bonitate ſentirent. Mihi facilè centies, & ſcripſit in literis, & dixit ſententiam illam ſcripturæ: *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum*; hoc uno cœleſti oraculo, omnes adverſitates (quas prædicebat magnas & multas) facili negotio me ſuperaturum.

II. Mirabatur ſæpius, & quodammodo conquerebatur coram nobis, quòd *Sacri Concionatores* toties terribilem in pœnis DEUM, & iram ejus æternam, & alia quæ peccatoribus irrogare ſolet divina *Juſtitia*, toties deſcriberent, & inculcarent; bonum & potens hoc eſſe ad peccatoris converſionem argumentum; at ferè nunquam de amabilitate DEI, & bonitate, liberalitate, miſericordia, & cæteris virtutibus, quæ miſerijs hominum occurrere ſolent, verba facere, id verò intolerabile ſibi videri: monebátque nos, ut ſi quando prædicationis officium imponeretur, in promptu habeamus,

mus, quæ ad populum de bonitate DEI, & divinis, ùt modò dicebam, virtutibus commendandis valerent.

III. Quod ad *P. Nicolaum* attinet, ſciebat ille *amorem, non tam in verbis, quàm in operibus conſiſtere; & amorem magnum magnà operari*, juxta *D. Gregorium*, ideóque ante omnia (ordo enim ubique tenendus eſt, quem ſapientes animam diſciplinæ, nos autem animam ſpiritualis vitæ dicere poſſumus) ante omnia inquam, à peccatis & vitijs omnibus magnis & parvis Conſcientiam perpurgare, & in futurum tempus, nè in eadem recideret, magno ſtudio providere ſtuduit: præterita pænis ſpontè ſuſceptis (quarum mentionem ſuperiùs fecimus) delevit, aliiſque modis & actibus, qui à *Theologis* pœnitentiæ comites habentur, futura præcavit auxiliorum divinorum in horas ſingulas invocatione: in qua Conſcientiæ puritate, & nitore ſervando, tantùm profecit, ut Majoribus conſcijs, & de ejus virtute nihil dubitantibus, votum ediderit, nè veniali quidem culpâ deliberatè DEUM offendendi, quod ſanctiſſimè & inviolatè uſque ad mortem ſervavit. Quod illam ab omni deliberata culpa vacantiam attinet, ipſum habeo teſtem *P. Nicolaum*, qui in epiſtola quadam valedictoria, quam ad filios ſuos ſpirituales, cùm ſe jamjam moriturum putaret, dedit: *Morior lætus, quia omni conatu animæ meæ in Societate hactenus*

ſtudui,

ſtudui, cor meum, propter DEUM ab omni peccato veniali mundum conſervare. Et adfuit mihi gratia Domini DEI mei à multis annis, quæ reverâ ità cuſtodivit animam meam, ut per hos omnes annos meos rariſſimè per totum annum laberetur, in aliquod peccatum veniale, ex meritorum Domini noſtri JESU Chriſti beneficio ſingulari. Unde ea, quæ ad humilitatem permittebat DEUS, poterant ab alijs notari tanquam peccata, ſed vel verè peccata non erant, vel tantùm materialia, & ex naturæ impetu commiſſa. Quæ autem confitebar, erant ùt plurimùm ex vita mea præterita, ad dandam materiam abſolutionis. In Novitiatu meo, & poſtea hæc ſola erat mea difficultas ſpiritualis in terra affligens cor meum, quòd non invenerim peccata ad confitendum. Interrogatus igitur à quodam ex Noſtris Pragæ An. 1641. 12. Junij, qua de re ſe in Confeſſione accuſaret? reſpondit Senex: ſe jam ab annis plurimis nulla peccata mentalia confiteri: *Quia,* inquit, *nihil unquam aliud quàm DEUM, vel propter DEUM cogito.* Urgebat alter: negligentias ſaltèm in oratione admiſſas accuſaret; *nullas,* reſpondit, *invenio, quid ergo confitebor, niſi juventutis peccata?*

IV. Hoc mirum in Patre; ejus animam & corpus tot & tam diverſis virtutum actibus ſemper ſuffeciſſe, & nunquam tam intenſis rebus facultates animæ & corporis oblæſas fuiſſe. Vidi illum ſæpius igneſcentem divinis affectibus, & ardente

toto vultu flammas quasi spirantem, & præ vehementia amoris vix vocem in verba formantem (quod ei plerumque sacrificanti accidebat) & tamen non fatigabatur amore, imò si negotijs alijs, v. g. scribendarum ad diversos literarum, opusculorum spiritualium, aut Exhortationum sacrarum labore lassus respirare cogeretur, ad DEUM, & ad divinos affectus conversus capiebat quietem, & vires restaurabat; & tum sæpius, cùm se observari & audiri à nemine putaret, in altas voces ac suspiria amore DEI æstuans erumpebat; at ubi se respiciebat, aut observatum se intelligebat, erubescebat nimirum, & quasi rem indecentem admisisset, pudore afficiebatur: recitabo hoc loco plagulam ex *MM. SS. P. Godefridi Schuberti*, qui ferè assiduus hærebat apud Senem: cum DEO agens (scilicet *P. Nicolaus*) toto vultu rubebat, quandoque post continuatum de DEO colloquium ità exæstuabat, ut solus relictus, vestem à pectore deducere, & portam ac fenestras etiam hyemis tempore aperire, aliàs pannos frigidâ madentes applicare pectori cogeretur. Dicere solebat quibusdam socijs suis, quos in spiritu excolebat: *Impossibile est, ut ampliùs tolerem ardores istos! sentio totum sanguinem in venis ebullire, tantásque cordis exuberantis angustias, ut non possim vobis loqui!* atque ità non raró cogebatur lecto se superinjicere, & spiritum, velut anhelantes solent, colligere, quem sæ-

per

pe per quadrantis horæ ſpatium & ampliùs non inveniebat.

V. Nulla erat tam laborioſa & ardua functio & occupatio, quæ eum à memoria DEI avellere poſſet; dum Confeſſiones pœnitentium exciperet, preces ſimul perſolvebat orando; ſic divinam bonitatem offenſam magis placare ſtudens, neque alterum alteri obſtare affirmabat.

VI. Supra 50. ampliùs annos nullas de rebus ſpiritualibus ariditates, aut deſolationes, ùt vocant, paſſus: nunquam tamen ſua ſolatia amavit, aut de ijs gaviſus eſt, ſed quidquid eveniſſet, referebat in DEUM, ad cujus guſtum augendũ (quem finem divini guſtûs ſibi præfigebat, & frequentiſſimè repetebat) quotidie manè ſurgens ardentiſſimè petebat, ut Divina Majeſtas animam ſuam omnibus ijs impleret virtutibus, & auxilijs divinis in ea copia & menſura, quæ eſſet proportionata, & reſponderet divinæ perfectioni, amori, & potentiæ ac meritis Chriſti, quantum ſcilicet humana imbecillitas ſineret. Id eò petebat inſtantiùs, quòd aliquando illa verba in Miſſa legens: *Ut quotquot ex hac altaris participatione Sacro-ſanctum Filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratiâ repleamur*; intellexerit divino lumine illuſtratus, divino guſtui maximè conforme & gratum eſſe, ſi ſervi DEI ad maximam perfectionem anhelent, & non quamcun-

que, ſed omnem in ſe benedictionem recipiant: rurſúmque novo lumine ſuperveniente, hoc ex ea cauſa fieri didicit, quòd eſſent membra Chriſti, ac proinde debere eſſe ſimiles & maximè proportionatos & propinquos tam ſancto & excellenti capiti ſuo Chriſto.

VII. Audivimus nonnunquam, cùm diceret pœnas Purgatorij, quamvìs acerbiſſimæ ſint, tamen acerbiores & majores ob id ſibi videri, quòd occaſionem præbeant hoſtibus DEI malis dæmonibus inſultandi, quòd DEO negligenter ab hominibus ſerviatur. Ipſe igitur quamvìs ad omnia ſuppliciorum genera ſe offerret, tamen nè dæmonibus triumphi alicujus cauſam præberet, totum ſe ad pœnas peccatorum abolendas pœnis ſponte ſuſceptis convertit, interim non recuſans ſupplicia alterius vitæ, modò id non fieret ex debito ob peccata contracto, ſed ex propria electione, & divinæ gloriæ incremento & guſtu ipſius DEI; de quo, cùm eum procuratum eſſe ab aliquo ſervo DEI heroico virtutis actu, audiret vel legeret, ſummâ voluptate efferebatur, & omnia humana, quæ nos oblectant gaudia, huic uni cogitationi, quòd DEUS inde guſtum percepiſſet, poſtponebat.

VIII. Intimè afficiebatur Sanctis illis, qui vel nunquam graviter offendiſſent DEUM, vel heroico aliquo & difficili facto DEUM honorâſſent, & ejus amantiſſimum cor recreâſſent, ùt ex veteri

Lege

Lege *Josephum de lascivia triumphantem*; *Susannam* mori, quàm peccare in conspectu Domini eligentem, *Tobiam hædum* nè furtivus esset, reddi jubentem, *Latronem bonum* inter tot maledicta *Principum Synagogæ*, & socij sui convitia, Christi innocentiam defendentem; horum & similium facta sinè lacrymis & gemitibus, quas gaudium cœleste proliciebat, nunquam audire & cogitare potuit, gratias illis agendo, quòd se tam fideles Domino suo servos probâssent, exoptando, ut plures ejusmodi *Heroës Sancti* existant, & alios congruos affectus eliciendo.

IX. Ex hoc inflammato divinæ charitatis affectu oriebatur, ut quoties de glorificando DEO, & de ejus augenda gloria aliquid audiret, totus extra se rapi & ignescere videretur; ùt v. g. in Missa ad illa verba: *Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ*: & *Regni ejus non erit finis*, aliáque his similia, cùm creaturæ ad DEUM laudandum invitantur, quæ ità legebat, ut ex ipsa vocis pronunciatione, vehementia affectûs facilè notaretur; Idem accidebat *P. Nicolao*, cùm videret dilectum suum honorari: & ex minimis hisce in speciem rebus mirifica capiebat solatia, ùt cùm Musici in templo compararent se cum quadam alacritate ad DEI laudes canendas, cùm ad supplicationis celebritatem *die SS. Corporis Christi* augendam multos huc atque illuc discurrentes, ac rerum satagentes videret,

cùm *cerea lumina* diſtribui, & cupidè rapi ac geſtari obſervaret, cùm *Miniſtri Sacrorum* de Miſſali & ſacris ferendis facibus, & alio apparatu Sacrorum geſtando certarent, cùm pluribus *campanis* ad *Eccleſiam Fideles* advocarentur &c. tum totus hilareſcebat, & in amorem dilecti rapiebatur, cum ingenti animæ ſolatio: quòd adhuc ſupereſſent, qui in tanta mundi perverſitate divinæ gloriæ propagandæ ſtudio tenerentur, optabátque, ut quod olim Judæi invidiâ tabeſcentes de Chriſto jactabant, re verâ fieret: *Ecce totus mundus poſt eum abijt*, tantóque tum gaudio diffluebat, ut omnis amaritudo afflictionum, & mundi in *maligno poſiti* evaneſceret, imò dulceſceret, ajebátque: ſi tria illa Beatarum Mentium privilegia, nunquam peccare, affectus elicere ſupernaturales erga DEUM intenſioni habituum reſpondentes, & ùt in Scholis vocant, *adæquatos*, tum illud tertium, continenter & nunquam interruptè ex toto corde, è tota mente, omnibus viribus DEUM amare, ſi inquam, hæc tria concederentur, conſolationes, quibus abundabat, beatitudini cuidam plùs quàm humanæ, ſuffecturas.

X. Eam ob cauſam ſæpe alloquebatur ſeipſum in hunc modum: *quantâ abundantiâ gaudiorum Sancti illi in Cælo, qui clarè DEUM intuentur, circumfluunt, quando tu in hac miſeriarum, & lacrymarum valle peccatorum omnium viliſſimus, tanta*

di-

divinæ dulcedinis copiâ, & ipso fonte potaris? cùm velut quotidiano pane Christi corpore & sanguine vesceris? cùm sinè omni tua præparatione & nullis meditationum conatibus præmissis, cœlestibus delicijs satiaris, ut vix sinè risu, & interiore animi jubilo homines aspicere, nè dum affari possis? quanto gaudio replentur corda justorum DEO totâ mente servientium, cùm tu canis fœtidus, & omnium imperfectissimus, tam dulciter à DEO tractaris? nimis honorati sunt amici tui DEUS, & nimis profusa est copia dulcedinis tuæ, quam abscondisti diligentibus te; siquidem tanta est in ijs, qui non diligunt te, eo saltèm modo, quo par est, aut quo tu velles diligi te. Cúmque hæc & similia diceret, extendebat, & excutiebat brachia sicut aves ad volandum concitatæ solent, ipso manuum gestu significans jam se ad illos beatos & æternos dies aspirare.

XI. Videbatur aliquando Senex in amore divino quodammodo exerrare; refértque exemplũ *P. Godefridus Schubertus* familiaris ejus, quod ab eo verbis signatis recitabo: *Fui An. 1641. datus ei in socium, dum Primarium quendam Regni Bohemiæ Dynastam inviseret; erat is, qui totius Regni gubernacula tenebat. Sub medium colloquij, quod erat de DEO rebúsque divinis, repentè P. Nicolaus sede suâ se proripit, apprehensúmque utroque brachio Comitem quàm arctissimè stringens, iteratis vocibus exclamat: Excellentissime Comes amando, amando,*

amando! tum subjungit, si omnium corda, ac præcipuè tuum in potestate haberem, illa non citiùs dimitterem, quàm amore divino prorsus ùt forceps inardescerent! amor, amor omnia penetrat! Et cùm Comes ille quæreret: in quo reponeret solidum erga DEUM amorem vel in homine sæculari, & curis Regnorum occupato? respondit: non peccare nisi levissimè, & rarissimè, & patienter, & fortiter adversa tolerare. Hoc dictum & ille amplexus P. Nicolai tam altè in animum Comitis descendit, ut copiosissimas profunderet lacrymas. Pergit P. Godefridus in sæpius laudato manuscripto: dixit mihi frequenter: *malle se in mille partes discerpi, & iterum iterúmque redintegrato corpore ad nova tormenta & lanienas, etiam inferni, parari, quàm DEUM ullo deliberato peccato offendere.* Hinc, cùm illi de quibusdam personis, tam sæcularibus, quàm Religiosis diceretur: *hic multùm jejunat, ille multis horis orat; iste vigilat, aut duro indormit strato;* statim inquirebat: *an etiam innocenter vivit, & minima & maxima peccata vitat?* si ità: *O verum amatorem DEI* exclamabat! sin minùs: *nolo*, inquit, *talem amorem, nolo!*

XII. In rebus omnibus creatis (more amantium, qui nihil nisi de amato cogitant, & DEI amore occupati ad Dilecti amorem omnia referunt) in omnibus, inquam, rebus creatis inveniebat DEUM, in perfectioribus creaturis, perfectiùs etiam

etiam Divina attributa, potentiam, bonitatem, pulchritudinem, & cætera agnoſcebat, & intimo in ejus amorem rapiebatur affectu; in imperfectioribus creaturis conſiderandis, magìs ſeipſum incitabat ad DEUM amandum & glorificandum, ídque placere magìs DEO credebat: ſicut enim perfectior eſt obedientia cæteris paribus, nutus *Majorum* obſervare, quàm imperia expectare, ità ajebat, perfectiùs eſſe DEUM in minimis etiam & vilibus laudare & amare, quàm in maximis.

XIII. Porrò creaturas illas, quæ ſinè hominum ſatione, & induſtria creſcerent aut exiſterent, magìs amare ſe dicebat, quòd eas ab ipſo DEO porrectas acciperet, & ſpectaret, *ùt ſpontè natas arbores, herbas, aurum, argentum, gemmas, &c.* & in cœlo *ſolem, lunam*, & alia pulcherrima ſidera hominum utilitati & oblectationi à DEO præparata; ipſum *tonitru*, cùm maximè metueretur, ad laudandum DEUM *P. Nicolaum* maximè provocabat, nec præ lætitia continere ſe cellâ poterat, quin excurreret, & ſuis Clientibus identidem ingeminaret: *agnoſcite, quàm magnum & potentem habemus Dominum, ad cujus vocem totus mundus intremiſcit!* Quoties ſe occaſio aliqua dabat ovile aliquod ingrediendi, lætus intrabat, & obviàm quamvìs apprehendens oviculam collo premebat, brachijs ſtringebat; rogatus ut quid animalculum hoc vile amaret, reſpondit: *Quidni*

amarem illa, quæ Agnum mihi illum referunt sub typo, qui tollit peccata mundi? Veris ineuntis tempore in herbis virentibus & ſeſe explicantibus obedientiam ſuo Creatori mirabatur; ad ignis conſpectum ardentia DEUM amandi deſideria concipiebat, ſed maximè, ùt ſuprà innuebam, ex ſole rapiebatur in DEUM, unde in quodam libello luminum cœleſtium annotavit memoriæ causâ: *Quanquam omnes creaturæ ad DEI amorem te debeant excitare, iiſque in horâ mortis tuæ ob id agere gratias debeas, quòd tibi occaſionem dederint amandi DEUM, præcipuè tamen ſingulari quodam affectu complectere ſtellas & ſolem: horum enim luce & lumine ſcis te miro modo accendi.* Hinc cùm ſolem pulchriùs oriri aſpiceret, feneſtras cubiculi ſui aperiebat, ut ſol pleniùs cubiculum illuſtrare poſſet; tum ille elatis in altum brachijs exclamare auditus eſt: *Ad lumen, ad lumen*, his vocibus lumen gloriæ, & beatam DEI viſionem intelligens, ad quam aſpirabat. Quid ageret prolato ad ſolis radios *Crucis* ſigno, dixi in Capite: *De amore crucis & adverſorum.* Cùm nox ſerena ſtellas oſtenderet, vel in ambulacris Collegij, vel ex cubiculo ſuo ad longum tempus ſtellas contemplabatur, & illo aſpectu animum oblectabat, modò hanc, modò illam ſibi deſignans, quam ex meritis Chriſti cœli Civis effectus pedibus calcaturus eſſet. Atque hos modos à ſole & ſtellis ad DEUM aſcenden-

dendi ajebat, ſe à *Sancto Philippo Nerio* didiciſſe.

XIV. Quemadmodum verò ex rebus naturâ pulchris & honeſtis omnibus ad DEI amorem incitabatur, & velut ignis ubique pabulum ſui erga DEUM affectûs quærebat, & exultabat gaudio; ità mirum in modum triſtabatur, quoties occurreret, quod DEI contemptum aut offenſam ſubolere videbatur.

XV. Sed nihil magìs virum *Divinorum* æſtimatorem afficiebat dolore, & profundè vulnerabat, ac penè enecabat, quàm ſi in oculos ejus gravis aliqua DEI offenſa occurreret, maximè in actionibus, quæ immediatum DEI cultum concernunt. Optabat cæcus & ſurdus eſſe, nè cogeretur audire, vel videre offendi DEUM, & Chriſti Regnum imminui, præcipuè ſi ea imminutio fieret ab ijs, quos Chriſti Regnum dilatare & amplificare oportebat. Conſtat eum auditis quibuſdam apertis ſceleribus, quæ commiſſa erant in urbe, triduo in cubiculo mærentem, & ſe excruciantem hæſiſſe, nec ullam conſolationem recipere voluiſſe. Idem fiebat in *Confeſſionibus*, quoties graviora peccata audiſſet, ſed premebat dolorem, nè daret indicium, abſtinebat tamen publico, uſque dum gravis illa triſtitia alijs actibus abſtergeretur. Narrat *P. Kojalovvicz* hominem prædivitem & nobiliſſimo ex genere fuiſſe periculoſo morbo decumbentem, qui auditis, quæ DEUS per *P. Nicolaum*

pa-

patraverat, ſpem conceperit; valetudinis ejus precibus recuperandæ. Itaque vocatum ad ſe *P. Nicolaum*, multis fatigavit precibus, ut pro ſe DEUM oraret, & valetudinem recipere mereretur, noto alicui Patri promittens, & tantùm non jurans: ſi *P. Nicolaus* morbum precibus ſuis depelleret, amplas poſſeſſiones Collegio cum aliquot millium annuo proventu ſe daturum. *P. Nicolaus* ad ægrotum advocatus, & promiſſionis factæ ignarus, nihil gravitate morbi perterritus, ſpem in DEUM poſuerat, poſſe ægroto ſanitatem reſtitui. At ubi domum reverſus, intellexit hominem graviſſimis, & mali exempli, & propè inemendabilibus vitijs ac peccatis oneratum eſſe, *DEUS bone*, inquit, *huic homini præſtabilius eſt mori, quàm vivere, abſtinebo ego pro eo orare*; ità factum, & homo ille dives optimè ad tempus mortis comparatus deceſſit. Quotidie ardentiſſimè Domino peccatorum cauſam commendabat, neque dubium eſſe poteſt multorum peccatorum converſionem impetratam ab eo fuiſſe.

CAPUT IX.

Amor proximi, & zelus animarum.

I. BEnigniſſima & propenſiſſima in omnes *P. Nicolai* charitas, ità ſeſe probavit omnibus, ut qui eum noſſet, nõ dubitaret ab eo, ſi in

ſi in ejus poteſtate foret, omnia ſe impetraturum; eo in numero includebantur etiam, qui Patri, ob neſcio quas opiniones ſuas minùs favebant: ad iſtorum auxilium Pater accurrebat libentiùs, quod plurimi bono ſuo ſenſerunt; cúmque ſint duo bonorum genera, *corporale* ſcilicet & *ſpirituale*, utrumque ſibi proponebat Pater, ut & hæc & illa proximis omni, quo poſſet, ſtudio procuraret, quanquam ad *ſpiritualia* beneficia præſtanda longè avidiùs ferebatur.

II. A primis vitæ Religioſæ annis, nunquam ferè ſponte ad receptas quot hebdomadis deambulationes domo prodibat, ſed tempus illud ijs, qui ope ſuâ domi vel foris egerent, conſecrabat: quæcunque neceſſitas alijs occurreret, cui ſubvenire ipſe poſſet, hanc eſſe judicabat ſuam: & æquè cum proximis, ſi juvari non poſſent, angebatur, adibat noſocomia, inſtruebat rudes, ægrotos inviſebat, & ſolabatur.

III. Quamvìs alijs præeſſet, ſuum munus eſſe putabat, vel mediâ nocte, cùm aliquis *Sacerdotum* ad ægros vocaretur, hanc per ſe operam præſtare, ut *Patrum ſuorum* nocturnæ quieti conſuleret; qua in re cùm properato opus eſſet, ſæpe accidit, ut fallente veſtigio in lutum provolveretur; neque ab audiendis Confeſſionibus in templo, ſuo ſe regendi officio excuſabat; ſed perdius & pernox ubi opus eſſet in Tribunali ſedebat, ut ſuo exemplo

plo incitaret, & omnes æquè intelligerent grande hoc munus esse, quod etiam *Collegij Rector* obiret.

IV. Eâdem industriâ erga exteros, quâ erga domesticos utebatur: adibat frequenter, blandè alloquebatur, solabatur, amicè eliciebat, quid illis remoram in via DEI poneret; etiam quasi ignorans aut dubitans consulebat. Ità factum, ut plurimos in ijs, quas inhabitabat, Provincijs haberet, qui ejus quasi *Magisterio* gloriabantur; *familiarum Religiosarum Præsides* in *Italia*, *Polonia*, *Bohemia*, *Litvania*, sibi addictissimos habebat, ut ad eum passim velut ad oraculum accurrerent, vel consilium, vel solatium in rebus suis difficillimis recepturi. Ajebat Pater familiaribus suis: se toto Religionis tempore desiderâsse,& DEUM orâsse; ut rete quoddam fieret, quod homines ex omni statu traheret,& concluderet ad amandum DEUM. Et verò traxit, non modò exemplis, sed *Magisterio spiritûs* quàm plurimos. *Vidi* (scribit P. Schubertus in MM. SS.) *libellum, in quo nomina suorum pœnitentium, ut pro ijs nominatim oraret, eósque Domino commendaret, qui apud eum totius vitæ Confessionem peregerant, & totum animæ statum aperuerant, annotaverat: erant multa millia, atque inter illos omnis Conditionis, omnis sexûs, viri nobilitate, doctrinâ, virtute, & rebus gestis Clarissimi. Addebat Senex: nullum esse in Italia Religiosum Ordinem,*

ex

ex quo non habuisset filios spirituales, etiam in eo Ordine Viros summos. Amanuenses suos, qui scilicet ejus opuscula ad utilitatem legentium, aut ad typum promovenda describebant, propè omnes ad varias Religiosorum familias complectendas suis doctrinis illustratos permovit, qui hodiéque conversionis suæ initia *Patri Lancicio* referunt in acceptis.

V. *Parthenonibus sacris* in spiritu & virtute adjuvandis felicem operam posuit *P. Nicolaus*; annis aliquot in *Italia Romæ*, in *Monasterio Turris speculorum*, & alibi sub ejus *Magisterio* & directione, magnam sibi *sacræ Virgines* famam virtutis & sanctimoniæ comparârunt. In *Prussia* ad *Cœnobium* quoddam DEO dicatarum *Virginum* reformandum invitatus, spem omnium lætissimo fructu superavit; erat illud *Cœnobium*, à neglectu disciplinæ, à licentia vitæ, à discordijs malè commendatum, & fama insuper ferebat, mulierculas malæ & desperatæ frugis illuc fuisse compactas, unde locus laborabat infamiâ; quid enim sperare posses à reluctantibus & invitis? inde omnia perturbata & confusa, neque licebat propemodùm bonas esse in cætu malarum; tentata à multis *Viris spiritualibus disciplinæ Religiosæ* reductio; omnia frustrà fuerunt, cùm DEUS hanc gloriam servo suo *Patri Nicolao* servaret. Cùm ergo primùm *Cœnobium* accessisset, magnâ verborum comitate, & spe melio-

liorum consolatus sacras Virgines, primis inde exhortationibus ad illas habitis, hoc effecit, ut primùm *mala sua intelligerent*, deinde de malè collocatis studijs suis & vitæ rationibus *dolerent*, tum *Generali* præmissâ *Confessione* peccatorum, in eorum pœnam hunc locum & habitationem ad satisfaciendum pro peccatis datum esse à DEO scirent. Ubi eas in vocatione *Religiosa* confirmavit *Pater*, & conscientijs expiatis ad divinam lucem recipiendam comparavit, omnes & singulas allocutus persvasit, ut singulæ ad *Antistitam* absentem literas conficerent, quibus veniam precabantur, & hunc *Cœnobij* locum ad pœnitentiam agendam sibi concedi postularent. Magnâ admiratione omnium consciorum excepta res est, & *Antistita* credidit hæc omnia, dicis causâ fieri, neque quòd violentè, ùt putabat, *P. Nicolaus* extorsisset, diuturnum futurum: sed veram pœnitentiam fuisse eventu patuit. Nam sic in posterum vitam instituêre suam, ut exempla Sanctitatis earum in vicinis latè *Regionibus* vulgarentur, & quantum antea infamiæ, tantum postea laudis in omni genere virtutum apud domesticos æquè ac exteros reportarent. Vapulabat inter hæc *P. Nicolaus*, & obtrectatores (qui pijs nunquam deesse solent) acuebant lingvas, & *venenum aspidum sub labijs eorum*; alij irridebant, velut deceptum à fœminis Senem, alij etiam accusationes scribebant, & calumniaban-

bantur, præcipuè ij, quorum ſibi familiaritate & colloquijs interdixerant mulierculæ, fremebant. Omnia hæc *P. Nicolai* patientia, & ſilentium ſuperavit; & maximè *Monialium* conſtantia, in bene cœptis uno virtutis colore omnibus vitæ annis deducta, oſtendit *P. Nicolai* operam bene fuiſſe collocatam.

VI. Erat alio in loco, aliáque in *Provincia*, ſpecie quidem DEO conſecrata, inferis tamen devota ad *Sacrilegium* uſque *mulier*, quæ jam 20. annis dæmone, velut marito cum pacto tori abutebatur, ejúſque conſilijs regebatur. Hujus fœminæ mores, & turpem cum dæmone conſvetudinem cùm quodam rumore tenui accepiſſet *Vener. P. Nicolaus*, ardentiſſimè, & frequentiſſimè ſupplicabat DEO, nè tantum triumphum hoſti ſuo concederet, ſed priſtinam mentem, fidémque propudioſæ illi *Virgini* redderet. Aggreſſus eſt igitur negotium magno animo *Pater*, eámque reluctantem primùm, tandem ſecuritate à dæmonis inſultibus promiſsâ, eò rogando perpulit, ut *S. P. N. Ignatij ſacris exercitijs* animum excoleret, quod cùm *Generali* peccatorum *Confeſſione* præmiſsâ, peregiſſet, tantam ſibi ſpiritûs fortitudinem addi perſenſit, ut nihil jam niſi DEUM cogitaret, amaret, & veterem procum, qui poſthac non comparuit, non magìs, quàm improbam muſcam timeret. Narrabat poſtea mulier Viro perquàm docto

& gravissimo, qui ei à *sacris Confessionibus* fuit, malum dæmonem longè antè præsensisse *Ven. P. Nicolaum* commercium suum aliquando impediturum; itaque monebat: nunquam ut *P. Nicolaum* nominaret, neque *Nicolai* nomen in choro, dũ psalleret cum *Virginibus* cæteris, pronunciaret, esse illum hostem capitalem suum, & si quid gratum sibi pro tot amoribus præstare vellet, hunc *P. Nicolai* contemptum sibi donaret & immolaret.

VII. Multos, multásque illustres personas, ad vitam sanctam adduxisse *P. Nicolaum* in comperto est. Fuit *Matrona Nobilis*, quæ de meditatione rerum sacrarum audire non poterat; huic, ut experiretur, tantum̃odo persvasit *P. Nicolaus*, & explicato fundamento exercitiorum ad unam horam meditationis adduxit; tanto illa gustu tantóque solatio eam horam transegit, ut summis precibus reliquas *S. Patris Nostri* exercitationes sibi tradi postulaverit; nullum faciebat finem præteritos errores & cæcitatem suam deplorandi, dum denique non ferens mundanorum hominum consortia in quoddam *Cœnobium Sacrarum Virginum* sese abderet, & DEI servitio reliquam vitam consecraret.

VIII. De traducta ad magnam vitæ perfectionem *Maria Magdalena Bonaventura Virgine Nobilissima in Cœnobio Romano Turris speculorum*, longa est ejusdem Patris in opusculis suis narratio, quam hìc interserere supervacaneum puto: in-

sum-

ſumma, à leviori vita, quam duxerat antè, ad perfectiſſimam, & abſolutiſſimam ſeſe convertit, quod placuiſſe DEO cœleſtibus quibuſdam ſignis oſtendit Divinitas. Perinde verò, ut hæc placuêre DEO, ità malo dæmoni diſplicuiſſe, & omni ope omnes ab ejus colloquijs, & pijs monitis abſtrahere ſolitum, plurimis exemplis probari poteſt, quorum aliqua jam retuli, alia quod prodigioſum quiddam contineant, in 3. Lib. reſervo.

IX. Quod autem maximè nonnullos *Noſtrorum*, & *Externorum* ad *Ven. P. Nicolaum* attraxit, erat: quòd famâ ferebatur, hanc gratiam cœlitus accepiſſe, ut riténe an ſecùs *Confeſſio* perageretur, cognoſceret. Non facilè meminerim, hoc de ſe *P. Nicolaum* affirmâſſe, quamvis aliquid tale in MM. SS. de ſe annotâſit; ſed exempla veritatem oſtenderunt. Nam in *Confeſſionibus ſacris*, ſi quid per oblivionem, aliámque cauſam omitteres, ſtatim admonebat hoc vel illud peccatum omiſſum eſſe, quod mihi etiam contigiſſe recordor. Alijs etiam apertiſſimè, aut verbo oretenus in ipſa Confeſſione, aut per epiſtolam dixiſſe conſtat; *certos eſſe debere de obtenta venia peccatorum, quæ ſibi aperuiſſent, validam illam & omnibus numeris abſolutam Confeſſionem fuiſſe, paratum ſe DEO pro ijs reſpondere &c.* quod à tam gravi Viro vanè aut ſinè divina ratione dictum eſſe, nemo ſibi prudens perſvaſerit. Sed gravium oblocutionum & perſecu-

 tio-

tionum hæc res causam dedit apud ignaros; alij stultam hanc esse gloriationem dicebant, plurimũ levitatis continere; alij clamabant proximam errori, cùm omnes *Sacerdotes* æqualem ex *Ordine sacro* habeant potestatem, & improbissimum etiam *Sacerdotem* ritè absolvere; esse alios tam bonos & veros *Sacerdotes*, quàm illum; errare proinde eos, qui delectum *Sacerdotum* habeant, & eos quos ad manum habent, contemnant &c. non perpendentes scilicet, quorundam *Sanctimoniam* singularibus à DEO præmijs coronari. Non ausim tamen affirmare *P. Nicolaum* statum Conscientiarum omnium pœnitentium novisse, plurimorum tamen notitiam habuisse, id verò docuerunt exempla.

X. Jam verò difficile est explicare, quàm paternam curam & solicitudinem gesserit pro ijs, qui suam conscientiam semel bono *Patri* aperuerint! si quid audierat sinistrum, summâ svavitate admonebat, pericula etiam temporalia indicabat, per literas nunciabat, quid agendum esset, si quid immineret, denique nullum Patris vel Matris in spiritu & corpore adjuvando officium deesse patiebatur. Hîc prædictiones quædam *P. Nicolai* adduci possent, quas iterum in Lib. 3. differo.

XI. Ad mala proximorum si auxilium ferre non posset, sæpius ingemiscentem vidimus. Accidit dum *P. Nicolaus Pragæ in domo Professorum* de-

degeret An. 1641. ad medium *menſis Martij*, ut decem milites prædandi ſtudio in alteram ripam *Muldavæ*, quem totum conglaciatum, & curruum patientem de die viderant, ſuperare equis conarentur; progreſſis in *Alvei* medium, repentè glacies diſcedit & frangitur, hauſti omnes fluctibus nè uno quidem excepto cum equis perierunt; triſtis hic caſus *Urbes Pragenſes* conterruit, *P. Nicolaum* verò ingenti mœrore complevit: acceſſit unâ ante diem horâ cubiculum Senis *P. Godefridus Schubertus* (ex quo hæc ſcribo) reperítque copiosè flentem, & ſingultientem. Lacrymarum cauſam requirit; reponit Senex: *Defleo tot hominum, utinam non etiam animarum jacturam; non audiſti decem equites prædæ cupiditate fluviū tranſire auſos, fractâ glacie perijſſe? ego hodie lætus non ero, ſed diem totum mærendo conſumam.* Quod & fecit. Verba ſunt Religioſi & oculati teſtis; nam horâ pomeridianâ tertiâ totum adhuc lacrymis madentem invênit.

XII. Blandè ſolabatur afflictos, calamitates aliorum ſimiles recenſebat, brevì adfuturum remedium malorum promittebat: mihi neſcio quâ cauſâ afflicto, ſæpius ab eo repetitum carmen *Virgilianum* memini, *durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis*; & illud Divi Pauli, *diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.* Quod dictum in ejus ad me literis ſæpiſſimè invenio.

XIII. In pauperes, dum Collegijs præesset, mirè misericors Pater fuit; januæ nostræ custodi severè mandabat, ut nullum pauperem sinè stipe dimitteret, etsi mille adeò venirent; neque modò eos, qui paupertatem precibus testarentur, sed eos etiam, qui pudore prohiberentur mendicare, domum illis mittendo, opportunis auxilijs recreabat; imò etiam divites, cùm domi rarum aliquod edulium suppeteret, beneficentiâ prosequebatur, nullo ad eorum divitias, aut gratiam reddendam respectu, sed quòd essent membra Christi, & nostri in Christo fratres. Fiebat tamen, ut hâc ratione plurimos Societati conciliaret; nullum enim faciebat discrimen bonus Senex, an hic vel ille Societati amicus, aut benevolus, an contrà nostro nomini infensus & infestus esset.

XIV. Dum Provinciæ præesset, severissimè præcepit, ut si quid in charitatem fraternam in *Collegijs* peccaretur, id ad se continuò perferretur, & pœna irroganda sibi reservaretur, & sanè puniebat acriter; cùm intereà *Nostrorum* necessitatibus diligentissimè provideri à *Superioribus* vellet, sæpéque diceret, non expectandum esse, dum subditi peterent, præveniendas ipsorum preces, quòd multi seu humilitatis, seu mortificationis studio, aliáve de causa necessitates suas aperire cunctarentur; cui rei ut adferret remedium, ipsemet *Provincialis* solicitè interrogabat, quid communitati

toti,

toti, quid ſingulis in particulari deeſſet, quid addi poſſet, & protinus præſens adferebat auxilium: in qua charitate præſtanda mira accidiſſe, quæ DEO ſoli imputari debent, poſteà narrabo.

CAPUT X.

Quàm integrè & ſanctè vota Religioſa, quibus ſeſe Religioſi omnes DEO devovent, Ven. Pater obſervârit; additur aliquid de amore & veneratione Inſtituti Societatis JESU.

TRium generum vota in *Religioſis Ordinibus* invenio: primi generis habentur illa, quæ *Religioſos* conſtituunt, ùt ſunt *Vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ.* Secundi generis ſunt, quæ *Religiones aliquæ* emittere ſolent, ùt *Ordo Minimorum S. Franciſci de Paula* votum vitæ quadrageſimalis, alij perpetuam à carnibus abſtinentiam, alij alia; *Societas* noſtra honorum omnium acceptatione, & procuratione voto ſibi interdicit; promittit ſpecialiter *Miſſiones Euangelij* causâ mandato *Pontificis Romani* etiam ſinè viatico ſuſcipiendas, Inſtitutionem *Fidei Chriſtianæ* parvæ ætatis, & plurima alia, quæ ad hunc locum non faciunt. Tertij generis cenſentur illa, quæ in Religionibus piæ quædam animæ, cum *Majorum* li-

licentia DEO promittunt, & ad ea præstanda voti *Religione* sese obstringunt. De primo & tertio genere hîc agetur.

I. Inprimis paupertatem habebat pro Matre *P. Nicolaus*, & quamvìs satìs delicatè (utpote opulentorum *Parentum* unicus filius) educatus esset à puero, tamen sanctæ paupertatis studio vilissima quæque in vestitu, cibo, habitatione eligebat. Nunquam eas sententias admittebat, multò minùs sequebatur, quibus *Doctorum* quidam paupertatem *Religiosam* laxiorem efficere sunt conati; eos commendabat *Religiosos* maximè, qui vel vi *Instituti* sui, vel animi designatione & ex virtute, nè obolum quidem possidere, etiam cum licentia *Majorum* sustinent, & cum *S. Petro* exclamare possunt: *Ecce nos reliquimus omnia*! Narrabat sæpe in *Societatis* nostræ initijs omnem donationem, aut acceptionem velut grande scelus habitam, & tale aliquod in paupertatem peccatum à solo *Superiore* absolvi potuisse; hinc apud nos remansit illud, quod *Confessioni* peccatorum præmittitur, *nihil dedi, nihil accepi sinè licentia*.

II. Nulla res in ejus cubiculo pretio, aut arte visenda reperiebatur, divitiæ totius cubiculi erant: *Crucifixi* imago in oratorio, *S. Ignatij* in mensa, in qua scribebat, *S. Philippi Nerij* in cubiculi porta; liber Sacerdotalis officij, quem *Breviarium* appellamus, multo usu & annis detritus, paucæ in eo

ico-

icones Sanctorum in charta viliore expressæ sola *S. P. Nerij* imago pergamena cernebatur, in qua Sanctum illum venerabatur.

III. In cubiculo, quanquam continua studia, & opuscula spiritualia, quæ scribebat, ingenti librorum varietate & copiâ egere viderentur, paucissimos tamen apud se servabat, *nè*, inquit, *alijs incommodem, qui fortè ijsdem uti vellent*; hinc plerumque in *Collegijs* cubiculum sibi impetrabat, quod non ità procul à Bibliotheca distaret, ut quoties librorum aliquo egeret, inde petere, & descriptâ ex eo libro sententiâ librum facilè reponere posset. Lecti ratio tenuissima, qualis pauperem decebat, sinè multis integumentis & ferè sinè pulvillo, quem capiti supponeret; nam caput super sponda lecti lignea deponebat dormiturus. Idem paupertatis studium in literis, quas ad suos in Christo filios frequentes dabat, idem in conscribendis spiritualibus opusculis lucebat: nam illas amore paupertatis, nè quid superfluum esset, ità scriptura ex omnibus partibus complebat, ut nulla partium, præter eam, in qua titulus scribitur, & eam in qua literæ signantur, vacaret; in opusculis verò scribendis, si quid addendum videretur, chartulas ex literis aliorum ad se scriptis, rescissas, vel ab alijs, quòd inutiles essent, relictas adhibebat. Vestes panni pretiosioris admisit nunquam, imò voto se obstrinxit, nunquam alias admissurum, nisi

quibus domeſticis laboribus dediti fratres noſtri utuntur : cingulo rudi panno præcingebat ſeſe, paratam ſibi recèns togam nunquam induebat primus, ſed priùs utendam alijs dabat ad dies aliquot, ac piè perſvadebat ſibi, non eſſe illam ſuam, ſed conceſſam à fratre; cúmque aliquando veſtem novam oblatam non admiſiſſet, accuſavit ſeſe in *Refectorio*, quòd ex ſuperbia videri pauper voluerit, ideóque novam veſtem repudiârit.

IV. Summam curam adhibebat in rebus, quæ uſui ſuo deputatæ erant, quàm poſſet mundiſſimè & integrè conſervandis; ſi earum aliqua in terram caderet, elevabat protinus, & lutum, aut ſordes detergebat; quòd à Domino ſuo ſibi ea data cogitaret, proinde ad ſe pertinere earum integritatem & conſervationem; veſtibus & calceis aliíſque ſimilibus tam diu utebatur, quàm diu decentiæ Religioſæ congruerent; lucernam aut lumen non accendebat priùs, quàm opus eſſet, & quæ in tenebris peragi abs ſe poterant, ùt eſt oratio mentalis, preces *Roſarij*, aliæque hujuſmodi pietates, eas exſtincto lumine perſolvebat; huc per jocum *Philoſophicum* Axioma trahens : *quæ poſſunt fieri per pauciora, non eſt opus, ùt fiant per plura*, tum illud alterum : *non eſſe multiplicanda entia ſinè neceſſitate*, denique pauperem vitam cum omni tamen munditia ducere *P. Nicolao* propoſitum fuit.

V. De *caſtimonia Patris*, quæ prorſus *Angelica* fuit,

fuit, paucissima dicam, quæ tamen maximarum rerum argumenta dabunt prudentibus: in MM. SS. libello, quo beneficiâ DEI in se complexus est, adversùs pusillanimitatem, quæ ipsi nonnunquam molesta erat, DEO gratias agit, *quòd corpus & animum ab omni impuritate servaverit, & nunquam, nè cogitatione quidem permiserit inquinari.* Jam Lib. 1. dixeram eum in *adolescentia* votum perpetuæ castitatis emisisse, quod ipsemet testatur in actione gratiarum post Missam puncto 40. *gratias tibi ago ô DEUS, quòd me voto Castitatis perpetuæ in sacello B. Virg. Vilnensi adstrinxerim tibi.* Nunquam se in hoc genere quidquam deliquisse humiliter fatebatur, & cùm graves à dæmone tentationes immitterentur, nunquam tamen castitatî contrarias ullas ab annis omnino 40. neque ullos carnis motus persensit, neque coram se factum aut dictum aliquid tale, etiam cùm puer esset, & in cœtu medio mulierum versaretur, recordabatur.

VI. DEO frequenter, & ardentissimè agebat gratias: quòd cùm sæpe famam suam à malevolis oppugnari, & falsis accusationibus quodammodo lacerari permisisset, nunquam nè suspicione quidem minimâ vitij alicujus castimoniæ adversantis insimulatus fuisset, magnúmque hoc reputabat beneficium, quòd vel ex remoto DEI filium in terris agentem exprimere datum esset, qui omnis generis calumnias tolerâsset, hâc unicâ exceptâ, quòd

quòd nihil obſcæni in vitam ſuam objici audierit.

VII. Etſi verò donum hoc caſtimoniæ cælitus ſibi datum divinæ gratiæ beneficio agnoſceret, nihilominus tantâ cautelâ ſenſus omnes & affectus, & motus animi obſervabat, ac ſi ei maximè obnoxius fuiſſet; itaque neque in formoſos vultus oculos conjiciebat, neque niſi demiſſis oculis, cum ſexu altero, aut cum *Adoleſcentibus* agebat. Cavebat diligenter adhuc juvenis, nè cui familiaris eſſet, & quia naturæ hilarioris, & morum ſvavium habebatur, diligebatur ab omnibus; at ipſe amorem omnium ſilentio & fugâ, cùm ſe amari ſentiret, eludebat.

VIII. Hanc verò verecundiam, quam ſemel *P. Nicolaus* à primis annis imbiberat, in omni reliqua vita tenuit, etiam cùm nullus eſſet, qui ejus actiones arbitraretur; & quamvìs, ùt jam ſæpe monui, continenter DEUM præ oculis haberet, tamen confirmandi ſui in hac virtute gratiâ, fingebat virum gravem adſtare ſibi, qui obſervaret, utrùm ad modeſtiæ regulas, ſenſus & totius corporis motus componeret: cùm in cubiculo ſolus ſederet, ità veſtem aptabat, ut nihil præter eam conſpici poſſet.

IX. Non poterat alio quàm gratiſſimo animo tanta DEI in ſe munera venerari *P. Nicolaus*, ideóque humillimo ſenſu divinam bonitatem adorans cavebat omnimodis, nè ſe ejus tutelâ indignum

præ-

præstaret: abstinebat consultò ijs vocibus, quamvìs vulgo receptis, quæ aliquid fædi audientibus vel eminus repræsentare possent; *libidinis* vocem non utebatur, malebat ipse *cupiditatem* dicere; idem faciebat in reliquis hujusmodi, quæ in malum sensum detorqueri possent, vocabulis. DEO sæpe gratias agebat, quòd se à calculi doloribus hactenus conservâsset, & ut porrò conservaret, orabat: intolerabile enim supplicium sibi fore dicebat, si eo corporis loco occupari, & pro omni Martyrio futurum, si oculis alienis subjicere illum dolorem oporteret. Hoc puritatis studium in *Patre Nicolao* quibusdam ostentis probavit DEUS, quæ libro postremo commemorabimus.

X. Boni etiam creati proprium est, ùt alicubi dixit *Aristoteles*, *tales alios efficere, quale ipsum est*, & qui virtute aliquâ excelluerunt, DEO ità disponente ad eam complures alios adducunt. De *Patre Nicolao* id dicere possumus, cui cœlitus hoc datum videtur, ut plurimos ex cœno voluptatum extractos, ad Angelicæ puritatis studium traducerct. Romæ quispiam juvenis cùm gravissimis carnis tentationibus die noctéq; urgeretur, & omnia propè antidota spiritualia sinè fructu adhiberet, tandem occurrit, si lectulum *P. Nicolai* attingere liceret, omnes sibi animi molestias depulsum iri; attigit & continuò juvenis liberatum se persensit, ùt ipse coram legitimis judicibus rogatus posteà fate-

ſatebatur, quod ipſe *P. Nicolaus* in libello gratiarum his verbis annotavit: *Vincentius Caſſius graviſſimas carnis tentationes in ſe ſentiendo, accedens ad tuum lectum cum ſpe eam tentationem pellendam eſſe, ſi lectum tuum attingere poſſet; attigit, & liberatus abijt, quod non tuis meritis, ſed illius ſpei tribuo.*

XI. Ad tertium, ídque *Religioſis* omnibus commune votum *Obedientiæ* veniamus: hanc tam ſtudiosè coluit *Ven. P. Nicolaus*, ut in ea perfectionis apicem attigiſſe videatur; ac primis quidem vitæ *Religioſæ* annis, ſi quid ei à *Majoribus* imperabatur durius, ſuis ipſe rationibus, & à ſe inventis, illud probabile, juſtum & æquum ſibi reddere conabatur, at poſt annum 1620. jam nihil tale unquam animo occurſabat, ſed cæcâ obedientiâ exequebatur, pro omni ratione reputans, quòd imperaretur; mirúmque eſt virum ætate, virtute, doctrinâ, & rebus geſtis, authoritate partâ tam conſpicuum, ſingulari DEI providentiâ ità diſponente arduis quibuſdam imperijs jactatum, ac pene dicerem, vexatum, tamen nè cogitationem quidem *Majorum* imperijs adverſam paſſum eſſe, minùs admiſiſſe!

XII. In aliquot *Societatis* noſtræ *Provincijs* & domicilijs, & officijs vixit, modò in ſumma *Prælatorum*, *Procerum*, *Aularum*, atque etiam *Principum* & *Regum* veneratione, modò ignotus

ali-

alicubi, ac tantùm non contemptus, modò in honoribus, modò in privata vita abjectus, ſemper ſibi conſtans uno vitæ & conſtantiæ tenore, ſolatium omne in obedientia rèponebat. Ex *Guttenbergenſi Collegio*, ùt antè narrâſſe memini, in certam mortem profectus, tribus *Socijs* ante ſe occiſis, omnibus ſuis ſcriptis & reculis ſpoliatus (quæ ſibi vitâ ſuâ chariora dicebat) ſciens, & *Rectorem* de futura *Sociorum* cæde, & ſuo periculo præmonens, cùm *Rector* ſat durè reſpondiſſet: *iret modò, obedientiam ita velle*, ſtatim omiſsâ omni curâ, ire perrexit; nec illud grave ſibi fuiſſe imperium ſæpius mihi confirmavit; at DEUS, ùt poſteà dicam, hæc omnia mirabili præmio Seni reddidit Angelico miniſterio.

XIII. In *Majorum* imperijs divina agnoſcebat, illúdque ſæpe in ore habuit: *qui vos audit, me audit*, & quemadmodum ſi cætera paria ſint, obedire *DEO* & *Eccleſiæ* ſinè longo rationum examine pretioſius eſt, ità credebat Obedientiam eſſe perfectiorem, quæ ùt ſpiritualis vitæ *Magiſtri* docent, cæca ſit propter DEUM, & ſolis ijs, quæ mandantur, exequendis immineat. Itaque cùm DEUM in ſuperiore agnoſceret *P. Nicolaus*, non mirum eſt in alloquendis illis, magnam ſemper reverentiam adhibuiſſe, capite aperto modeſtè & demiſſis oculis ſtando imperia accepiſſe, laudâſſe, & in exequendis ijs alacritatem oſtendiſſe; dum *Su-*

pe-

periorum cubiculum transiret, semper denudabat caput, & modicè submittebat, eámque reverentiam etiam cùm *Superiores* esse desinerent, erga privatos tenebat, ex quorum scilicet ore nuper divina accepisset oracula. *Provincialium* & *Rectorum* Literas venerationis causâ nunquam ferè nisi in templo ante *Venerabilem Eucharistiam*, vel si id incommodè fieri posset, ante *Oratorium* in cubiculo aperiebat, & genibus flexis legebat; gratias agere DEO auditus est, quòd ab anno 1621. nullum unquam *Superiorum* imperium judicio aut voluntate adversante exceperit, adeóque (verba sunt Senis) *à voluntate DEI & Superiorum semper velut filum à duabus acubus dependerit*. Decreta *Superiorum Ordinis* nostri tam universalia, quàm *Provinciæ* propria defendere ac laudare solitus hac præcipuè de causa, quòd nos DEO arctiùs adstringerent. Cùm primùm campanulæ signum audiret, omnibus relictis, eò quò vocabatur, se conferebat, atque ùt celeritatem obedientiæ commendabat, ità moras omnes oderat, mirabatúrque cùm expressam significationem Divinæ voluntatis haberent *Religiosi*, aliquos tamen ad eam sequendam tardos & cunctatores in Religiosa domo inveniri. Hæc de obedientia *P. Nicolai* sufficient rerum spiritualium peritis, qui vitam *Societatis* nostræ in obediendo consumi noverunt.

XIV. Ad Votorum *Religiosorum* argumentum

qua-

quadantenus ſpectare & referri poſſe videtur amor & æſtimatio *Religioſæ* vocationis, & vitæ ad formam regularum exactæ; quo in genere ità excelluit *Ven. P. Nicolaus*, ut in amanda *Societate* noſtra nemini vellet concedere. *Conſtitutiones*, quas *Sanctus Pater* cœleſti lumine illuſtratus conſcripſit, quáſque dum ſcriberet *Sanctiſſimam DEI Genitricem* adſtantem, & non ſemel verba ipſa dictantem habuit, tanti faciebat, ut in ijs omnem *Sanctitatem* noſtrorum hominum contineri, & nihil perfectius, nihil ſublimius ultra ea, quæ ijs traduntur, inveniri aut excogitari poſſe affirmaret; præcipuè quatuor *Summarij* regulas (nonam, decimam, undecimam, duodecimam) commendabat, mirabatúrque cœleſte lumen *SS. Fundatoris* noſtri jubentis *ijſdem veſtibus & inſignibus quibus Chriſtus indui*, veſtes verò illas eſſe contemptus, contumelias, injurias, accuſationes falſas &c. quæ omnia multis Opuſculorum ſuorum locis practicè explicare, & in uſum inducere conatus eſt. Pari obſervantiâ ferebatur in regulas & ordinationes Ordinis noſtri, dicebátque cũ *Bernardino Realino*, quem inclytæ *Societatis* virum adducebat in teſtem: *eum ſe pro Sancto habere, qui Societatis regulas ſervaret.* Cùm non ſoleret quidquam nimìs obfirmatè aſſerere, tamen vel ſuo ſangvine paratus erat huic veritati ſubſcribere: rariſſima DEI dona & cœleſtes gratias breviſſimo tempore eum

assecuturum, qui minimis etiam in speciem regulis intenderet. *Interfui non semel* (verba sunt Patris Schuberti) *dum è Collegijs abiret, cùm Magistri nostri & Scholastici ab eo sibi aliquid memoriæ causâ relinqui peterent, libellum ostentâsse, qui regulas Societatis continebat: en,* inquiebat, *memoriam non tam mei quàm vestri: hunc vobis relinquo: regulas, quas diligenter servetis, Superiorem, cujus imperia exequamini, & Patrem Spiritualem, cujus audiatis consilia!* (& accidebat plerumque, ut postremi duo adstarent) *hæc tria altè in memoriam descendant! tenete!*

XV. Totum literarum, quas ad suos filios spirituales sæpissimè dabat argumentum, in regularum observantia commendanda consumebatur; sunt in manibus meis plurimæ ejusmodi literæ, regulas & obedientiam omnibus lineis inculcantes. Cùm ei universa *Provincia* aut *Collegia* regenda committerentur, in prima ad *Patres Fratrésque Exhortatione* tenerrimo, quem vultus ipse indicabat affectu promittebat in *spiritu lenitatis & amoris, & ex formula Sanctorum Apostolorum* omnes se gubernaturum ùt filios, & quantum ad generalem agendi modum, erga singulos maternos affectus imitaturum; quoad particularia verò *Nutricem* sui Alumni amantem expressurum, modò ut *Societatis* regulas haberent in pretio, qua in re nullum se discrimen inter *Socios* facturum, cùm omnibus

scri-

ſcriptæ ſint regulæ, ab omnibus proinde ſervandæ: optimè componi poſſe hæc duo: *ſpiritum ſuavitatis & lenitatis in ſuperiore, & amorem & obſervantiam regularum in ſubdito.* Quod ſi contingeret, ut eam obſervantiam ab uno aliquo obtinere non poſſet, *ſuavitati & lenitati* adjungebat *fortitudinem*; & DEI guſtum potiùs quàm apud homines plerumque varios & inconſtantes, commendationem quærebat.

XVI. Ut boni & amantes ſervi minimè contenti ſunt vulgaria & omnibus uſitata ſervis obſequia præſtare, útque generoſi milites, qui approbare virtutem *Duci* ſuo volunt, non ea tantùm obſequia aggrediuntur, & perficere conantur, ad quæ vel ex more famulorum, vel militiæ legibus obligantur; ſed etiam magno ſtudio connituntur aliquod egregium facinus patrare, quo Ducibus ſuis ſe commendent. Ità *Ven. P. Nicolaus* non contentus obligatione communi votorum, quâ DEO ſeſe *Religioſæ* animæ obſtringunt, ardua & difficillima quædam vota, priùs à *Superioribus* multis obtentâ facultate, emiſit, quæ Sacro-ſanctè ſervaret, & DEI gratiâ adjuvante ſervavit. Exſcribam ex ſecreto ejus libello ipſa votorum verba:

Reddam tibi, Domine DEUS meus, Vota mea, quæ ſangvine meo diſtinxerunt labia mea, & viſcera mea, & paupercula anima mea.

Omnipotens ſempiterne DEUS, ego licèt un-

decunque divino tuo conſpectu indigniſſimus, fretus tamen pietate ac miſericordiâ tuâ infinitâ, & impulſus deſiderio Tibi quàm perfectiſſimè ſerviendi, & te quàm maximè glorificandi & amandi omni poſſibili ac decenti modo, coram Sanctiſſima Virgine MARIA, & Curia tua cœleſti univerſa, Divinæ Majeſtati tuæ purè propter te,

Voveo nunquam deliberatè peccare mortaliter, aut venialiter, contra ullum præceptum tuum, aut Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, aut Societatis JESU. *Eſt autem communis Theologorum ſenſus, non eſſe moraliter impoſſibile vitari à quopiam, extraordinarijs DEI gratijs adjuto, omnia peccata venialia ſaltèm plenè deliberata.*

XVII. Voveo non propalare alijs, divina dona tua mihi conceſſa, præſertim quæ admirationem, & laudem, ac opinionem extraordinariam apud alios conciliare ſolent, niſi ob neceſſitatem vel utilitatem certam ſperatam, eámque non vulgarem, ſed ſupernaturalem purè ad tuum cultum, & amorem ordinatam, & in ijs tantùm occaſionibus, quibus magnos tuos amicos & ſervos, talia propter te, DEUS meus, manifeſtaſſe alijs, ſcimus.


XVIII. Voveo me propter Te, dilectiſſime DEUS meus, ſemper & ubique omnes adverſarios meos, & inimicos, ſi qui fuerint, vel fuerunt, vel adhuc erunt, & omnes quovis modo mihi ac rebus meis contrarios, ex corde amaturum, tanquam

quam veros ac ſolidos & mihi caros, & à me purè propter Te expetitos pro omnibus totius vitæ meæ inſtantibus, & pro toto tempore poſt mortem meam uſque ad univerſalis Judicij diem amicos,& inſignes benefactores meos magìs exoptatos, quàm eos, qui ſunt mihi, rebúſque meis faventes, quibus ſemper & ubique propter Te carere volo, DEUS meus.


XIX. Hæc omnia & ſingula plenè & deliberatè purè propter Te DEUM meum, & propter guſtum & conſolationem dulciſſimi & beatiſſimi cordis tui, voveo; & hæc vota mea, propter Te manu & ſangvine meo proprio ſubſcripta renovo. A tua verò immenſa bonitate & clementia per JESU Chriſti ſangvinem, peto ſuppliciter, & per merita ac interceſſionem SanctorumTuorum, imprimis verò per infinita merita JESU Chriſti Domini ac Redemptoris noſtri, ut hæc indignitatis & paupertatis meæ duo minuta in gazophylacium tuum, à paupercula anima mea purè propter Te miſſa, & has aliquot micas de menſa tua divina mihi viliſſimo catello tuo à Te datas, Tibi verò principio & fini bonorum omnium reſtitutas propter majorem gloriam & amorem tuum,tanquam gratiſſima holocauſta,D. N. JESU Chriſti,cœleſtium ſpirituum, ac totius Romanæ Catholicæ Eccleſiæ meritis adjuncta, in odorem jucundiſſimæ, ac nunquam ceſſantis ſvavitatis divino tuo & pa-

terno corde admittere digneris,& ùt largitus es ad hæc omnia multò antè desideranda,facienda, præstanda, propter gloriam & amorem tuum, & deinde ad offerenda votorúmque vinculis propter majorem gloriam, honorem, & gustum, & consolationem dulcissimi & beatissimi cordis tui constringenda; sic etiam ad explendum deinceps integerrimè & perfectissimè, imò ad augenda hæc omnia, quàm maximè propter Te gratiam uberrimam, nunquam cessantem, perpetuò crescentem, intensivè & extensivè largiaris, cum omni possibili perfectione meo Religioso Statui ac conditioni congruente proportionata, & correspondente Divinæ tuæ imagini, perfectioni ac sanctitati, & infinitis Domini Nostri JESU CHRISTI primarij Mediatoris nostri meritis, per quem à me Tibi defertur debita laus, honor, gloria, dilectio deferenda perfectiùs in altera vita per infinita sæcula sæculorum.

AMEN.



De




De Vita Rebúsq; gestis

VENERABILIS PATRIS NICOLAI LANCICII SOCIETATIS JESU,

LIBER III.

Continens mira quædam, quæ per eum operari dignatus est DEUS, tum monita quædam & documenta vitæ spiritualis, quæ in ejus Opusculis non inveniuntur; excerpta potissimùm ex literis ab eo scriptis, & colloquijs familiaribus.



IAm pridem observatum est à me, Scriptores omnes, qui clarorum *Sanctimoniá* Virorum vitam, & gesta scripserunt, miris eventis, & cœlestibus beneficijs & gratijs commemorandis, postremum ferè librum servâsse, non quòd ea contemni possint, sed quòd *Sanctos* non efficiant,

síntque quasi folia tantùm & ornamenta, quæ Viris *Sanctis* circumponit DEUS, quibus *Sanctitas* omnino carere posset, quæ in DEI solido amore & virtutum perfecta & consummata acquisitione consistit, sed quòd ea sit Divinæ mentis bonitas, ut eos, qui ipsi fideliter serviunt, & ejus gloriam amplificare student, gloriosos non modò in altera, sed etiam in hac mortali vita reddere, & in honore & veneratione esse velit, illis minimè laborantibus, & mira, quæ illis sæpe eveniunt, studiosè occultantibus; sentiunt enim cum *S. Chrysostomo* de bono patientiæ loquente in hunc sensum: In miraculis & donis DEI debitor sum Christo, in virtutibus, & patientia debitorem habeo Christum. Neque hac dote & ornamentis cœlestium quorundam beneficiorum servum suum fidelem *Ven: P. Nicolaum* destituit DEUS, ùt ex sequentibus patebit; pauca tantùm referam ex ijs, quæ Viri *Religiosi* fide digni annotârunt, eáque in manus meas venerunt: omnia aut plurima referre mortuis ijs, qui nobis ea narrare poterant, & quæ ipse *Venerabilis Pater* silentio, & quodam virtutis artificio occultavit, commemorare impossibile est. Omnia hæc DEO omnium gratiarum Authori, & à quo bona cuncta procedunt, & qui in Sanctis suis honoratur, accepta refero, & adscribo.

CA-

CAPUT I.

Ven. P. Nicolaus Lancicius nomen ſuum in Libro Vitæ legit inſcriptum. Aliæ nonnullæ Divinarum Perſonarum Apparitiones.

NEmo in rebus *Sanctorum* parùm verſatus, eorum geſta ad menſuram humanæ rationis examinet: DEI voluntate & beneplacito, non meritis noſtris divina in nos beneficia penſanda ſunt, qui non ſecundùm *Sanctitatis* proportionem, ſed ſecundùm ſapientiſſimam ordinationem mentis ſuæ, mira in *Sanctis* operatur, cui quis dicere poteſt, *cur ita facis? ut non glorietur adversùs eum omnis caro.* Præſtat ipſum *P. Nicolaum* ad fidem faciendam hanc admirabilem viſionem pauciſſimis verbis referentem audire, prout videlicet *Adm. R. Patri Claudio Aquavivæ* Anno 1604. aut 1605. oblata, & à *Patribus* præcipuis *Societatis* noſtræ, qui tum Romæ degebant, examinata, & juſſu ejuſdem in *Archivum Societatis* illata, & hucuſque conſervata fuit, quam mihi An. 1682. *R. P. Joannes Waldt Rector* noſter, cùm Romæ in electione *Adm. R. P. Caroli de Noyelle* noſtri verſaretur, ſibi ex *Archivo Romano* communicatam tranſmiſit. Ita verò habet: *Ante 4. aut 5,*

annos (visum hoc oblatum fuit initio hujus sæculi) *diversis diebus in Sacrificio Missæ, post acceptam Sacro-sanctam Hostiam, cùm nunquam, in vita mea naturali modo similem imaginationem in mente mea habuissem, aut habere conatus essem, quater vel quinquies diebus diversis, sinè prævia cooperatione mea, aut conatu antecedente, habui inopinatè, & repentè formatas in mente mea Sanctissimæ Trinitatis personas, & me quasi coram illis in cœlesti gloria existentem, ac stantem, Christúmque Dominum tenentem supra genu, crassum quendam librum (per quem liber vitæ significabatur) & in eo libro, Christo Domino, ut legerem, annuente, vidi hæc formalia verba (quæ me pudet scribere & mallem omnia peccata mea manifestare) charactere, quem vocant Typographi* Antiquam Romanam, *scriptum: Sanctus Nicolaus Lancicius Societatis JESU. quibus verbis sentiebam mihi significari, me ex DEI beneficio non verò ullis meis meritis habiturum à Domino vitam in hoc sæculo sanctam, & in altero æternam. Quo toto tempore mirâ quâdam fervoris erga DEUM abundantiâ, & animi tranquillitate, & demissione videbar diffluere, magno gratitudinis erga DEUM affectu, & Sanctitatis desiderio, ac omnium imperfectionum odio, & nè minimâ quidem vanæ gloriæ titillatione, quamvis ôlim ex rebus vilissimis illius motus in me exurgentes sentirem; nunc autem in ea re nullam mutationem sentio, ut non plus complacentiæ vanæ,*

næ, aut gustûs naturalis in ea re sentiam, quàm si scribam me esse vivum, esse in Polonia, & similes res naturales. Hæc ille. Visionem non vanam fuisse cætera viri vita demonstrat, & plurimæ aliæ visiones, quæ illi cælitus sunt oblatæ, maximè verò profundissima humilitas, quæ ex tot visis oriebatur, & mirum in modum augebatur. Ego nihil de meo adjicio, sed felicitatem æternam, & præsentem admiror, & gratulor silentio! Revelationem hanc in MM. SS. de *P. Lancicio*, alijs quoque pietate, & virtutibus conspicuis personis oblatam legi, sed sinè ulla temporum & locorum nota, proinde sinè authoritate. Unus *Pater Julius Mancinellus* in quodam Tomo Divinorum suorum luminum, & miraculorum jussu *Superiorum* conscripto (qui asservatur in *Archivo Societatis*) posuit nomen *P. Nicolai Lancicij in Catalogo Sanctorum Societatis*, qui eo tempore vivebant, ùt ab oculato teste didici. Ipse etiam *P. Nicolaus* in libello quodam secreto suo, quem ad se erigendum ex pusillanimitate (quæ Senem aliquando fatigabat, & permolesta erat) conscripserat, & favores divinos annotaverat, hujus visionis mentionem facit his verbis: *Nomen tuum tanquam Sancti in Libro Vitæ diversis diebus aliquoties* (notanda sunt verba) *à te visum in Sacrificio Missæ, unà cum Sanctissimæ Trinitatis personis, & Christo Domino illum librum ita inscriptum ostendente tibi, tum cùm nihil*

mi-

minùs quàm hoc cogitares. In eodem libro plures ejuſmodi viſiones leguntur per modum indicis, ſed non explicantur: *Dominus JESULUS*, ſcribit Senex, *puerulus faſcijs involutus, in tuo Sacro ſupra patenam tuam poſt illa verba à te dicta: Agnus DEI &c. viſus à pia Vidua Anna Konarska, quæ id tibi in Confeſſione narravit.* Pergit in eodem libello P. Nicolaus: *Apparitiones aliquot tibi factæ, Domini JESU promiſſionem de concedenda re, quam pro B. Stanislai glorificatione petebas, adferentes, brevi, certo & felici eventu comprobatæ, & impletæ, tempore & modo, qui humanitus non videbatur aptus ad obtinendam gratiam valde rarum & difficilem ſpectatis rerum circumſtantijs.* Poſtea in eodem libello hoc annotatur: 18. *Romæ in Sacello SS. Angelorum, & S. Michaëlis* in Domo Profeſſa. Quæ verba continere cœleſtem aliquam apparitionem omnibus qui legebant, viſa ſunt, quam Senex ſibi ſoli notam eſſe voluit, non Lectori; utì & illa: *certum à DEO ſignum datum 16. Julij, quòd eſſet in ejus gratia An. 1596. vel ſequenti 16. Julij & An. 1625. 25. Octobris ſecunda revelatio facta eum eſſe in gratia.*



CA-

CAPUT II.

Crucifixi signum Patri Nicolao manum exporrigit. DEI Mater apparens felicem sententiam S. Rotæ de S. P. Nostri Canonizatione prima P. Nicolao nunciat. Idem præmiatur ab Adm. R. P. Mutio pro laboribus in ea Canonizatione susceptis.

MIrabile illud ex *Crucifixo* ostentum *Ven: P. Nicolao* oblatum commemorat P. Casimirus Kojalowicz (*Tit. Spes & Fiducia in DEUM, cap. 15.*) cùm enim in lite quadam, ad Sedem *Apostolicam* deferenda, multùm solicitus causam *Societatis* Domino commendaret, non contentus benignissimus Dominus aspectabilem sese *P. Nicolao* offerre, & de manu sua divina folium candidum expandere hisce literis inscriptum: *Fiat tibi sicut vis*, (ùt L. 1. c. 16. dixi) sed etiam alio tempore cùm esset *Cracoviæ Rector*, nescio an non miraculo majore de auxilio suo cœlesti, & victoria litis *P. Nicolaum* securum reddere voluit: oranti enim *Patri* ante signum *Crucifixi Cracoviæ*, & multis lacrymis ac precibus opem exposcenti, primùm immisso cœlesti lumine totius causæ exitum, quem optabat, menti suæ offerri vidit, deinde cùm Christum cruci affixum respicit, en mirabile

bile oſtentum! vidit manum dexteram Crucifixi lentè à Cruce dimoveri, & uſque ad genua protendi, quaſi auxilium promittentis. Non fuiſſe vagæ mentis ludibrium, neque impulſu aliquo extrinſecùs Crucifixi manum emotam, omnes qui vidêre, affirmant; ſiquidem hodiéque Crucifixus iſte *Collegio Cracovienſi* eſt in honore manúſque illa protenſa conſpicitur ſinè omni ligni vitio eo modo, quo tum demiſſa eſt; clavus inſuper ſuo loco remanſit cum obtuſo capitello, & longè craſſiori quàm ſit manûs dextræ foramen, ità ut ſinè cœleſti miraculo manus clavum tranſire non potuerit. Hoc Crucifixi miraculum publicè *Olomucenſibus Patribus* noſtris, cùm *Romam* proficiſceretur *R. P. Sarbievius* Lyricorum noſtræ ætatis facilè *Princeps*, affirmabat omnibus noſtris in *Polonia* notum eſſe, ſéque ipſum Crucifixum *Cracoviæ* ſpectâſſe. Ipſe autem *P. Nicolaus* in libello ſecreto his pauculis verbis rem totam complexus eſt: *Manus dextra Crucifixi illius Cracoviæ in Collegio relicti, quæ auxilium tibi offerens contra N. N. avulſa à cruce, & ad locum genuum porrecta ante te, clavo quo Cruci affixa erat, in loco ſuo relicto.* Ità ille. Similis apparitio *P. Nicolao Romæ* in templo *S. Chryſogoni* oblata eſt, & ex Crucifixi ſigno claris verbis locutus eſt Chriſtus Dominus, ùt *P. Schubertus* memorat, cui iſtud aperuit Senex, meminítque *P. Caſimirus* loco citato, omnibus ta-

tamen adjunctis, quæ fidem majorem facerent, omiſſis.

Jam de *Beatiſſimæ Virginis Deiparentis* apparitionibus plura ſcribi poſſent, ſi *P. Nicolai* ſecretiores libri eſſent ad manum, in quibus olim memini legiſſe exempla; fatebatúrque *P. Nicolaus* plùs vice ſimplici à ſe viſam *Cœli Reginam*, & ſolito auguſtiorem eo tempore, cùm ex imperio *Adm. R. P. Generalis* apud *Sacræ Rotæ* Auditores negotium Canonizationis *S. P. N. Ignatij* tractaret, & dubia omnia, quæ proponebantur, ùt erat rerum *S. Ignatij* & *Archivi Romani* peritiſſimus, diſſolveret. Conatus hic tam ſanctus & labor incredibilis, multis contrà nitentibus, ad plures annos extentus eſt, expectabatúrque ultima *Congregationis* ſententia, quæ an favens, an ſecùs, multi dubitabant; *P. Mutius Vitelleſcus* noſtrorum precibus & *Sacrificijs* negotium impensè commendabat, & ad varia templa Romana gratijs & miraculis celebratiora Noſtros oratum dimiſerat. *P. Nicolaus* templum *S. Chryſogoni*, cui mirè afficiebatur, ſibi pro oratione delegit: in medijs precibus adeſt *Auguſtiſſima Cœli Regina* vultu ſupra modum formoſo & hilari, per cujus merita DEI filium orabat, *Reginæ* inſtar exornata, quæ *P. Lancicium* ſecuro animo eſſe juſſit: hoc ipſo tempore ſententiam latam eſſe in *Sacra Congregatione*, quâ cœleſtes honores in *Militante Eccleſia S. Ignatio* decernun-

nuntur. Eam rem protinus *P. Nicolaus ad P. Mutium* detulit, eúmque plenum gaudijs & solatijs reliquit. Jlluxerat sequens dies, & sententia missa ex Sacra illa Congregatione Nostros omnes gaudio triumphantes ad DEO agendas gratias convertit. *Adm. R. P. Mutius*, ut aliquod præmium tanti laboris & operæ referret, ex capite *S. P. Ignatij* dentem unum extraxit, & in donum *P. Nicolao* obtulit cum humanissimis gratijs; quem dentem *P. Nicolaus* multis annis servavit multa cum veneratione, ùt Lib. 1. narratum est.

De *B. Virgine*, quæ in sua imagine *Trocensi P. Nicolao* schedulam subscriptam in *Litvania* occultâ manu per aërem remisit, egimus Lib. 1. c. 13. quam se vidisse & legisse An. 1641. *P. Schubertus* attestatur: *Nicolaë, quæ petiisti, impetrâsti*; characterem fuisse literis quidem usitatis, aliquid tamen humano charactere majus præsetulisse.

CAPUT III.

Ven. P. Nicolaus eodem tempore duobus in locis apparet. Corporis ejus mira levitas & elevatio in Oratione.

Lux oranti circumfusa.

QUod olim *SS. Præsuli Nicolao* divinitus concessum legimus, ut invocatus suis adesset ex remotissimo loco, & naufragio peri-

periclitantes eximeret; idem cum *Nicolao* nostro contigisse visuri sumus. An. 1607. *Romæ* studijs dabat operam è *Polonia* illuc missus *Societatis* nostræ *Scholasticus*, *Procopius Sambozeczky*, acris ingenij, & vividi, sed disciplinæ *Religiosæ* nonnihil impatientis. Discesserat jam *Româ P. Nicolaus*, qui juvenem suis monitis in officio tenuerat *Romæ*. Admonitore absente *Procopius* ad ingenium reversus, nihil jam de virtute seriò cogitabat. Huic *P. Nicolaus Romæ* apparens severo vultu, & tristibus verbis negligentiæ admonuit, multísque verbis increpito comminatus est, nî resipisceret, & virtutis studium curámque profectûs resumeret. Scripsit hac de re ipsemet *Procopius* in *Poloniam*; sed minis his parum emendatus, paucis deinde mensibus à Societate defecit.

Meliorem exitum habuit altera ejusdem *Patris* apparitio: *Florianus Tyminsky* Vir eximiâ prudentiâ & morum integritate conspicuus, adhuc sui juris & libertatis, anxius deliberabat de statu vitæ deligendo. In ijs cogitationibus fortè ad *Ecclesiam* nostram *Lublinensem* se contulit, ante Christum in loco sancto deliberationem finiturus: statuerat deserere sæculum, *Societas JESU* occursabat animo, sed multa simul, quæ consilium difficile redderent, obveniebant. In ea lucta ante se stantem vidit *P. Nicolaum*, Cracoviæ tum multis inde milliaribus degentem, cujus lætissimo vultu

& aſpectu mirè recreatus, injici animo ſuo ſenſit vehementem quandam cupiditatem ineundæ *Societatis*, quam brevì ingreſſus vitæ ſanctiſſimè actæ finem æquè ſanctum moriens impoſuit.

Nobilis genere, ſed longè virtutibus nobilior *Virgo Eliſabeth Seniavvska*, *Mareſcalli Regni* filia, An. 1607. in Martio graviſſimis exagitata conſcientiæ tumultibus, præcipuè quòd graviſſimæ carnis tentationes miſeram fatigarent, cùm ſe ad orandum dediſſet, vidit *P. Nicolaum*, remoto multis milliaribus loco, ſuæ orationis ſocium, & poſteà in loco *Confeſſionis ſacræ* ſedentem: quo aſpectu omnes illecebroſæ imagines momento evanuerunt, neque unquam in poſterum redierunt. Hæc in *Chelmenſi Parthenone* acciderunt, cùm ibi fortè *Eliſabeth* more *Nobilium Virginum* educaretur.

Quod ſequitur, an & cui mirorum (nam miraculorum nolo dicere) accenſeam, non ſatìs invenio; quod à Viro *Religioſo*, mihi notiſſimo, fide *Religioſâ*, & poſtea etiam *Sacerdotali* interpoſitâ narratum coram teſtibus multis accepi: Poſt An. 1641. cùm *P. Nicolaus Pragæ*, in Profeſſorum domo habitaret, inquiebat ille, acceſſi Senem, & inter alia *ſpiritualia* dubia, quæ proponebam, quæſivi: ecquid de oratione ſeu benedictione, quæ menſæ præmittitur, & quâ apud *Religioſos* Viros menſa finitur, præcipiendum haberet? repoſuit Senex,

nex, faciendum quod omni oratione commendatur, ut ardenter, & affectu tenero *Patri* donorum & benedictionum omnium agantur gratiæ. Longiùs ego progredior rogando: quis ille sit modus orandi? respondet; imitandum esse *S. Fundatorem* nostrum, qui in gratiarum actione post mensam, ùt in ejus vita legere est, velut coctus cancer præ fervore spiritûs rubescebat; simul *P. Nicolaus, Joannem Petrum Maffæum* de gestis *S. Ignatij* scribentem arripit, & caput de dono orationis *S. Ignatij* incipit prælegere; stabat ante mensulam suam Senex, me vix ulnâ à Senis corpore distante, cùm ecce rapi extra se Senem animadverto, qui, posito ante pectus suum *Maffæi* aperto libro, in altum magno impetu elevatur, contentâ voce exclamans, & aliquoties hæc verba repetens: *Magnus Sanctus Ignatius! Magnus Sanctus Ignatius!* &c. cùm elevaretur (altitudine unius & mediæ ulnæ) summo impetu quasi saliens tendebat in altum; cùm descenderet, levissimè descendebat; hoc cùm ter aut quater actum esset, toto intereà vultu flammeo cœlum suspectans, sibi redditus est langvens, & eo ascensu veluti lassatus & viribus defectus, subitò me respicit, & omnis prioris colloquij oblitus in hunc modum alloquitur: *Quid tu hîc agis? quid tu exspectas?* ego quid vidissem, silentio obtexi, unum hoc respondi: eam diem recreationis esse, ac proinde Senem me invisere voluisse, tum

ille: *Abi*, inquit, *domũ, aliud tempus commodiùs habebimus loquendi*; *ego me valde fatigatũ experior.* Ità à Sene tum diſceſſi. Hæc ille per animi ſui conſcientiam affirmabat ſe vidiſſe & audiſſe. At mihi hoc exemplo pateſcit, quod *P. Nicolaus* in conſcientiæ ſecreta ratione Superioribus ſuis ſæpius fatebatur (vide Caput XXI. Libri I.) his verbis : *Sentit* (in tertia perſona de ſe loquitur) *quendam, ita loquendo, bullorem animi ex interna devotione provenientem, & quod ei ſæpe contingit, corpus à terra elevantem, & quaſi ad cœlum volare volentem.*

Geminum eſt, quod commemorat *P. Caſimirus Kojalovvicz*, quòd ſinè omnibus adjunctis ab eo relatum ipſius verbis recitabo : *In Sacello S. Cæciliæ ſubterraneo Romæ, dum celebraret P. Nicolaus, altiùs ſe à terra elevatum ſenſit, quod etiam contigit Miniſtro Petro Staurino. Sunt, qui fide ſincerâ affirment, idem dum oraret in cubiculo contigiſſe; addunt, cubiculum orantis luce clariſſimâ inter tenebras noctis illuſtre viſum, quod etiam Culmæ celebranti, luce diei necdum exortâ, An. 1610. evenit; multâ viſionum ſpecie inter orandum ipſi P. Nicolao oblatâ, multo cœleſti lumine repentè affulgenti tenebris & obſcuritate vindicatâ.* Ità R. P. Caſimirus.

CA-

CAPUT IV.

Arcana cordium divinitus intuetur, & cognoscit.

NUllum certius divinæ & DEO plenæ mentis indicium in vita hominum esse potest, quàm arcana cordium inspicere, quæ etiam *Angelorum* cognitionem fugiunt; solus DEUS hanc scientiarum immensitatem sibi reservat, qui non nisì amicis & charis sibi, ídque perrarò, cortinâ quasi reductâ, cor hominis aliàs inscrutabile, ostendit tam dilucidè & perspicuè, ut cogitationes, & quæcunque designavit homo, patescant. Hac etiam in re dono cœlesti *P. Nicolaum* eminuisse, & vidimus, & audivimus: plurimi sunt, quibus occultissima peccata non modò nominavit, sed etiam cum adjunctis omnibus, locorum, temporum, quasi ante se gesta essent, aperuit, & eâ ratione ad vitæ emendationem adduxit, quorum nomina necessario silentio involvimus. Neque modò ultro fatentes, sed etiam factum negantes, & pernegantes, omnibus circumstantijs facti allatis convicit. Novi Juvenum par (quorum uterque, ùt sensus hominum fuit, mali malè perierunt) hi scelerato consortio inter se juncti monentem sæpius *P. Nicolaum* irridebant, ac tandem

quotidianæ ejus objurgationis impatientes, passim ùt calumniatorem bonum *Patrem* infamabant; at ille ijsdem vocatis, nè putarent falli & fallere, utriusque in scelerato facto gestus colloquia, statum, & situm corporis, & locum indicavit; qui pudore suffusi, è *Patris* conspectu convicti, & pudorem non ferentes protinus abiêrunt. Hæc *Olomucij* gesta Juvenibus narrantibus didicimus.

Meminimus sæpe *P. Nicolaum* divinâ quâdam vi correptum, subitò clamorem sustulisse: in hoc cumulo & cætu hominum, unum vel duos, vel tres non placere DEO, itaque citò ad DEUM confugiendum, nè à divina ira occupentur imparati. Tristes hásce minas ferè semper cum lacrymis pronunciabat.

Brunsbergæ, cùm ad Cives verba faceret, cœlesti procul dubio instinctu, descripsit cujusdam Civis mores, & sceleratos conatus, Juvenes ad scholas nostras itantes pervertendi: tantùm nomini pepercit, sed vivis coloribus præsentem depinxit, additis minis nisì ab innocentia Juvenum per illicia sua, quæ domi habebat, tentanda desisteret, brevi tempore iram DEI, quem toties offendisset, experturum. Malè ista ab *Auditoribus* accepta sunt: Cives dicere, civitati suæ propudiosum esse: hominem concivem habere, qui Juvenes corrumperet; alij etiam *Religiosi*, non debuisse propalam dici à *P. Nicolao*, quæ unius hominis

con-

conſcientiam tangerent: *P. Nicolaus* ſe dixiſſe, ſed quadam internâ animi commotione coactum affirmabat. Interea miſer civis & hoſpes tertio die nihil de æternitate cogitans concidit, exſpiravítque: quo triſti caſu omnes *ſuperiores* in *P. Nicolaum* calumniæ unà exſpirârunt. Hoc ex *P. Caſimiri* priori vita, quam ſcripſit, adfero, uti & quod ſequitur. In *Provincia Poloniæ*, cùm *Seminario* cuidam præeſſet, & Sacrum in privato *Collegij Sacello* quinque aut ſex noſtris præſentibus faceret, ſub *Offertorium Miſſæ*, ùt vocant, repentè exclamâſſe: *Heu* ! *unus è numero meorum in luxuriæ infandum crimen lapſus eſt* ! ea res eos, qui *Seminarij* curam unà cum *Patre* gerebant, conterruit, qui occultiſſimum illud crimen indagando protraxerunt in lucem; ſed *P. Nicolai* cœleſtis prudentia vetuit ulteriùs procedere.

Alio exemplo non minùs memorabili de *Patre Nicolao* in MM.SS. ſuo rem confirmat *P. Godefridus Schubertus*, híſce verbis: *Tempore Sacrificij videbatur frequenter non tam divina agere, quàm pati: interfui An. 1637. ejus Miſſæ, quam pro vota Religioſa renovantibus magno numero Noſtris legebat. Ubi ventum eſt ad illa verba Symboli: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, tantam vim lacrymarum repentè effudit, ut neque verbum proloqui, neque progredi poſſet, ſtetítque inter lacrymas dimidio horæ quadrante; & licèt duo è Patribus altare ac-*

cessissent, & verba, quæ sequuntur suggessissent, nihil percipere videbatur, donec ad se rediens, verba in quibus cessârat, prosequeretur, & Missam absolveret; rogatus à Patribus quid istud rei fuisset? ediceret; si quid ad solatium Sociorum revelâsset Dominus. Tacuit; soli Schuberto suo post horæ spatium, ultrò rem aperuit: DEUS bone., inquit, quales hodie in Missa distractiones sum passus! (distractiones appellare solebat Senex revelationes & visiones) ex omni numero vota renovantium septem in corde JESU non inveni, quia vocationis immemores Societatem deserent. Quod etiam factum vidimus. Solebat autem ad ea verba: simul adoratur, in tribus cordibus DEUM adorare: in corde JESU, in corde B. Virginis, & in cordibus Beatorum. Hucusque P. Schubertus.

Plura ex eodem autographo, cùm semel cœperim, dabo. Accidit, ut sex *Sociorum* pomeridianæ recreationis horam cum *P. Nicolao* de rebus divinis tractando consumerent; observavit hoc unus aliquis *Patrum*, qui nuper *Magistratum Provinciæ* universæ gesserat, solúmque sinè arbitris *P. Nicolaum* nactus, quæsivit: an omnes illi Juvenes nostri, quibus cum à mensa egisset, in vita *Religiosa* ad mortem perseveraturi essent? respondit cum lacrymis Senex: *Heu! me, non omnes! quia Superioribus suis, à quibus possent juvari, conscientiam suam non retegunt.* Factum, quod dixerat, & è sex illis

illis aliquis vix biennio exacto è *Societate* discessit. Prædictionibus hujusmodi *Cracoviæ, Vilnæ, Olomucij*, alibíque factis aliquot pagellas implere possem, si id unum ageretur.

Juvenis, qui *Olomucij* literis operam dabat, in speciem modestus & pius, à confessione peracta in ambitu *Collegij in P. Nicolaum* incidit, quem ità Senex alloquitur: *Infelicissime Juvenis! éstne hoc ritè confiteri? tacere peccata quorum te pudet? cur subticuisti, quæ ante triduum patraveras?* ubi ille peccata sua enumerari audivit, tactus dolore, protinus in terram sese abjicit, & in eodem loco humiliter absolutionem petens, impetravit, tantúmque commotus est animo, ut paulò pòst *Religionem* quandam ingressus pie vixerit, & vitam finierit. Hæc ex autographo *P. Schuberti.*

Hìc ego aliquid mirabile interseram, quod mihi cum *Ven. P. Nicolao* contigit: venerat *Olomucio Brunam P. Nicolaus*, cùm ego *Tyrocinium Societatis* inchoâssem; divinâ providentiâ factum puto, ut ego primus *Collegium* intranti occurrerem: *Janitor*, ùt mos est, *Collegij Ministrum* quæsiturus abierat, stamus unà ad *Catalogum* personarum, qui in *Collegij* ingressu pendere solet: inspicit, & nomina legit Senex, cúmque ad *Tyrones* venisset, ego commendare incipio de nomine quosdam; at Senex: *quos tu*, inquit, *mihi commendas? hic in Societate non persistet*, &c. plures tum mihi

oſtendiſſe videbatur, at ego ætatis vitio, quæ dicebat, memoriâ paſſus ſum elabi; ſerò tandẽ cùm ex *Societate* exiſſe viderem, *P. Nicolai* prædictionẽ veram agnovi; nomen enim unius vel alterius adhuc hodie recordor. Hæc An. 1637. aut 1638. geſta.

Romana exempla & *Romæ* cognita *Noſtris* attexere placet: erat *Romæ Paulus Motta* quidam, qui de ſtatu vitæ, quem potiſſimùm eligeret, dubius angebatur, directorémque conſiliorum ſuorum *Lucium Lucij* ſibi legerat; tantundem profecit, nihílque aliud lucratus eſt, quàm ut ex incerto incertior fieret; *P. Nicolaus* ultro *Lucium* adit, eíque omnem *Pauli* anxietatem, & quod ei remedium adferendum ſit, docet, ſimul colloquia omnia & conſilia utriuſque quæ habuerunt, aperit, hæc probat, alia confutat, præcipuè quædam ejus dictamina, quæ *Paulo* noxia futura eſſent, & ſtatum vitæ difficilem redditura; mirabatur uterque, neque niſi divinitus illuſtratâ mente cognoſci potuiſſe à *P. Nicolao* agnoverunt, quæ dixerat; quæ dicta facilem rationem conſiliorum perficiendorum reddiderunt, ut quid eligendum è DEI gloria eſſet clarè intelligerent.

Idem beneficium præſtitit *Nepti P Franciſci Nerij* noſtri, Virgini integerrimæ, diaboli fraudibus penè jam irretitæ; vocata enim à *P. Nicolao*, *P. Franciſco* præſente, nullis humanis ſignis præmiſſis,

miſſis, ità omnia, quæ in corde *Virginis* agitabantur conſilia, protulit in medium, appoſitíſque remedijs & cautelis circumſcripſit, ut omne malum averteretur.

Virginem Prænobilem obviam aliquando habuit *Pater*, quam & *Nobilitas* & *Nobilitati* plerumque juncta morum elegantia & ſvavitas, ſuis multùm commendabat. Non fefellit *P. Nicolaum*, qui divinâ luce illuſtratus agnovit in aureo vaſe lutum contineri, monuítque avunculam *Virginis Marchionissam*, ſeriò cuſtodiæ *Virginis* invigilaret, multa in profundo vitia latere; & certè latuerunt: adhibitâ cuſtodiâ turpiſſimæ voluptates, inſani inceſtus proditi, *P. Nicolai* non vanum timorem fuiſſe monſtrârunt.

CAPUT V.

Plura in eandem rem exempla, ex quibus patebit arcana cordium Patri Nicolao DEO revelante cognita fuiſſe.

BRunæ apud *Moravos* in templo noſtro *Sacrum* facienti aderat, miniſtrabátque Adoleſcens è ſcholis *Matthæus Renardus* nomine; is à malo dæmone impuriſſimis imaginibus immiſſis fatigatus, denique jam non ferens luctam tam gravem, ijs cogitationibus occupabatur; cùm

P. Ni-

P. Nicolaus repentè nonnihil ab altari versus: *relinque*, inquit, *& abjice has cogitationes*! ictus velut flumine Juvenis DEO se reddidit, & totum quod acciderat, *Condiscipulis* posteà commemoravit, quorum duo jam Sacerdotes *Bartholomæus Dolesius*, *& Georgius Castulus* vivunt, à quibus id accepi.

Ibidem *Brunæ* exhibebat comœdiam *Magister*, cujus nomini parcimus, & adhuc in vivis est; *Auditores* inventionem nobilem, carmen venustum, dexteritatem agendi in Adolescentibus, & spectaculis resurgentium mortuorum mirabantur; at *P. Nicolaus*, qui inter Auditores sedebat, ubertim & continenter flebat, neque toto illius actionis tempore lacrymis imperare poterat; causam rogatus, habuisse se distractionem respondit, at amicis hoc unum: *lacrymarum mearum causa Magister est comœdiæ Author, qui in Societate nostra non morietur*; veritatem eventus ostendit.

Sæpe jam dixi prioribus libris, *P. Nicolaum* in sacris Confessionibus, si quid à pœnitentibus omissum fuisset, monere & supplere solitum. Hoc exemplo *P. Godefridus Schubertus* confirmat: *Narravit mihi An. 1641.* (verba ejus recito) *Sacerdos Religiosus magnæ inter suos authoritatis, qui deinde Provincialis sui Ordinis creatus est, voluisse se An. 1640. P. Nicolao, dum Glacij degeret, generalem de tota vita Confessionem instituere, ad eámque se magnâ*

gnâ diligentiâ præparâsse. Die præstitutâ, ajebat: Coll gium adeo, & rectâ in cubiculum P. Nicolai datâ veniâ feror; ille ùt me vidit, statim in meos amplexus ruens exclamat: mi Pater, noli esse de modo confitendi solicitus, ego jam omnia scio, incipitq; ex ordine omnia recensere peccata, quorum causâ præcipuè Confessionem instituebam, & eadem esse, quæ annotaveram; quod dum audirem, in genua procidi, & ab ijs absolutionem cum ingenti animæ meæ in ipso dolore solatio & gaudio impetravi. Hæc ille Religiosus *Smirzicij* coram multis exposuit, deinde etiam An. 1644. in Professorum domo *Pragæ* jam *Provincialis* iteratò coram quatuor Pâtribus nostris confirmavit, paratus juramentum de rei veritate Nostris præstare, quoties id à se requireretur. Aliud idem Pater narrabat: *Cùm essem*, inquit, *in nostro Glacensi Cœnobio Concionator, invitatus à vestris Patribus, ut apud vos S. Ignatij die de ejus virtutibus ad Populum dicerem, accessi Ven. P. Nicolaum, petiique argumenta dicendi: ille continuò Tomum mihi suum obtulit, in quo mira S. Ignatij encomia, quæ Romæ annotaverat, & ingeniosa de S. Ignatio ab Italis Concionatoribus dicta continebantur. Contigit autem nocte quadam, dum ex eo libro, quæ argumento Concionis meæ servirent, colligo, & postea ad aliquod tempus è cubiculo abscedo, repentè scintillam ex candela in P. Lancicij librum decidere, quæ sat multa folia depasta est, & plùs quàm*

quàm dimidiâ parte consumpsit. Damno hoc perterritus diu librum Patri restituere differebam, tandem vici timorem; at ille ubi me primò vidit: Scio, inquit, *scio, quid factum sit libro, scivi etiam horam, quâ factum est, tum suaviter increpitum me negligentiæ, bono animo esse jussit, & à se dimisit.* Plura adhuc narrare parabat *Provincialis*, sed interventu aliorum abrumpere narrationem coactus est.

Huc pertinet illud, quod *P. Casimirus* primus Vitæ Scriptor, Vir utique fide dignissimus commemorat: inutilibus teneræ Conscientiæ timoribus (quos passim spirituales Viri scrupulos vocant) *Franciscus Sziubovvsky* noster vexabatur; jam nocte imminente ad *P. Nicolaum*, vel auxilium, vel consilium, vel solatium petiturus, ad januam accessit, pulsatísque de more foribus ingressum molitur, nondum viso homine *P. Nicolaus*, *vade*, inquit, *mi frater in pace! nihil est, quod te excrucies, depone inanes conscientiæ metus, & quietè dormi.* Ad has *P. Nicolai* voces secuta ingens mentis tranquillitas; die altero vocato *Francisco* ad se, ultrò *Pater* timorem ejus, & responsi sui causam exponit, & *Magistro* nihil jam movente omnes animi angores infusâ quadam novâ hilaritate abstergit. Idem *Franciscus*, cùm ei defensionem *Philosophicarum Thesium Majores* detulissent, multùm fluctuabat animo, an susciperet, an religiosè onus deprecaretur? venit iterum consilij

cau-

causâ ad *P. Nicolaum*, qui ſubridens chartam illi diu antè ſcriptam porrexit, & ante *SS. Eucharistiam* præmiſsâ ſupplicatione legere juſſit; legit, & omnes cogitationes ſuas deſcriptas eſſe admirabundus vidit; adſcripſit *Pater* conſilium de tota re ſuum, quod *Franciſcus* ex authoritate *Patris* protinus eſt ſecutus.

CAPUT VI.

Prædictiones.

NOn modò præſentia & cordium arcana vidiſſe *P. Nicolaum*, exemplis oſtendimus, ſed etiam futura, quaſi ante ſe gererentur cognoviſſe, hoc capite viſuri ſumus. Ac profectò tanta fuit prædictionum ejus multitudo, ut propè nullus familiariùs cum eo egerit, qui prædictum ſibi ab eo aliquid non haberet; multi graves morbos, alij ſtatum vitæ, alij ætatem longam, alij adverſitates innumeras, quas tolerare opus eſſet, alij alia narrabant, quæ accidiſſe omnia compertum eſt: *Romæ* dum moraretur, *Clementis VIII. Pontificis* mortem, quo contigit anno, diu antè prædixit; & *Leonem XI.* diſertè primâ Electionis ſuæ hebdomadâ multis audientibus edixit, *Majum* menſem non ſuperaturum vivendo, ac niſi ante quatuor tempora Nepotem ſuum in Cardinalium numerum adlegerit, deinceps id non perfecturum.

Nu-

Nuperrimè audivimus, ſcribit P. Caſimirus Kojalowicz teſtis auritus, *allatâ Neſviſium electione Adm. R. P. Alexandri Gottifredi in Generalem Societatis Noſtræ, P. Nicolaum ſubitò oculis mentéque in Cœlum elevatâ exclamâſſe: electus eſt quidem, ſed brevi ad ſuos anteceſſores apponetur.* quod factum poſtea Româ paucos poſt dies intelleximus, & doluimus. Mirus eſt (quia pluribus vaticinijs conſtans) ſed ad idem argumentum pertinens, da reſponſum *P. Godefrido Schuberto* An. 1638. datum: cùm enim *Olomucij* ex *P. Nicolao* quæreret: quemnam poſt mortem *Adm. R. P. noſtri Mutij Vitelleſci Societatis Præpoſitum Generalem eligendum putaret?* diu Senex hæſit, poſt aliquam moram hæc prolocutus: *habet Italia duos Viros præſtantes admodum; alter Neapoli degit P. Vincentius Caraffa, alter Romæ P. Franciſcus Picolomini; uterque erit Generalis, & tu utrumque Generalem ſupervives. P. Caraffa tamen Picolominium præcedet;* ſubjecit iterum: *Ità eſt. tu vives poſt illos, ego intereà poſt alterius obitum quieſcam in terra.* Hæc ipſiſſima verba fuêre P. Nicolai, quorum veritatem tempus oſtendit.

Illuſtriſſimæ Matronæ Ludmillæ de Sternberg, mortem filij ſecundogeniti 13. ipſis annis quàm acciderat, prædixiſſe *P. Nicolaum* ipſa Mater hiſce verbis teſtatur: *13. anni ſunt, à quo mihi beatæ memoriæ P. Nicolaus Lancicius prædixit, meũ ſecundo-*

genitum filium ad virilem ætatem non perventurum. Tenui secretum, nec ulli viventium rem patefeci; nunc quia verba suum finem sortita sunt, cum maximo quidem luctu rem aperio, ut vel ex hoc pateat, quàm vera sint illa, quæ S. ille Pater prædicebat. Hæc illa scripsit ad *P. Schubertum*, cui etiam prædictionem istam ex Polonia scriptis literis patefecit *P. Nicolaus* hisce verbis: *Salutet Reverentia Vestra meum Adamum Jllustrissimæ Ludmillæ filium, quem Mater adhuc pauculis annis videbit. Quod de illo dixi, fiet.* Ità, ùt prædixerat, accidit: nam ipso anno, quem *P. Nicolaus* designaverat, ex gangræna viscerali summo Parentum dolore expiravit. Eandem *Jllustrissimam Domum P. Nicolaus*, multis alijs prædictionibus, sibi obnoxiam fecit: memorabilis est illa, quam ex *Polonia* datis literis aperuit *Jllustrissimo Domino Francisco Mathiæ de Sternberg*, qui cùm *Supremi Judicis in Regno Bohemiæ* munus nuper sibi à *Cæsare* delatum accepisset, totius Regni votis ad maximos quosque honores destinabatur. Verba ex literis recitabo: *Vestra Jllustrissima Dominatio amet DEUM, brevì enim videbit vitæ suæ finem, & hoc non naturali, sed violentâ morte.* Non apparebat, unde illa violentia adferri posset; ecce tibi *Königsmarkius Suecorum Ductor*, post duos, non amplius â prædictione *P. Nicolai* menses, Arcem, & minorem Urbem Pragensem occupat Anno 1648. in eo tumultu *Jllu-*

ſtriſſimus, quem dixi, dum temerè feneſtram aperit, quid rei eſſet viſurus, globo à milite hoſtili brachium ei ſiniſtrum trajicitur, & octo diebus, fruſtra omnibus curationibus adhibitis, octavo die diſcedit è vita, optimè à *Noſtris Patribus*, quorum erat ſingularis, & liberalis amator, comparatus ad mortem. Plures mortium prædictiones adferri poſſent: *P. Godefridus Schubertus* decem, ait, ſe noviſſe, qui morientes affirmârint: hoc eſſe tempus, quod in tali loco, aut Collegio, ante triennium vel quadriennium *P. Nicolaus* illis prædixiſſet; inter eos Patrem fuiſſe, qui *Româ Rector* cujuſdam Collegij nominabatur, quem priùs moriturum *P. Nicolaus* prædixerat, qui repentè in morbum lethalem incidit, & intra octiduum morte ſublatus eſt.

Pater Teicher multis præſentibus querebatur extenuari ſe, & corpore nihil proficere, quamvìs eſcæ non parceret; riſit *P. Nicolaus*, ſubjecítque: *Atqui, bone Pater, tam vaſto ventre ante mortem apparebis, ut vix per hanc portam exire poſſis*; nemo quorſum iſta dicerentur, intellexit: donec poſt annos plurimos *P. Teicher* ad curationem hydropis enormi ventre *Pragam* venit, & prædictionem *P. Nicolai* nobis narravit, ſed in curatione me præſente mortuus eſt, poſtquam Chirurgi aperto ventre 15. grandes amphoras aquæ eduxiſſent.

Anno 1638. *Gitzinio* ad *Senatorem Olomucenſem*

ſem familiarem ſuum in hæc verba ſcripſit *P. Nicolaus : quia ſua Dominatio ſuam filiolam nimis amat, DEO viſum eſt, ut eâ poſt paucos dies careat per mortem naturalem.* Paulò poſt acceptas literas puellam febris incendit, & intra triduum extinxit. Interfuiſſe ejus funeri, & ſocium ſe fuiſſe *P. Georgij Pelingæ* teſtatur *P. Godefridus Schubertus*, qui addit mira plurima de *P. Lancicio* prædictum *Patrem Georgium* habuiſſe perſpecta, quæ cum illo moriente perierunt.

Hoc eodem anno *Giczinio* in æſtate *Olomucium* ſcripſit *Ven. P. Nicolaus*: *Attendite Urbi veſtræ, imminet enim illi grande malum.* (adjecit cauſas divinæ indignationis, & occulta quædam in Domibus, quas nominabat, geſta, quæ me non decet deſcribere) Poſt hebdomades pauculas, quodam Dominico Die in multis Urbis partibus excitatur incendium, & 90. aliquot domus hauſit, quod ultimò tandem, nè ſerperet longiùs, ſolis prope Religioſorum manibus eſt extinctum, grandi periculo, cùm jam flamma turrim pulverariam allamberet, quæ correpta ſinè dubio maximam Civitatis partem evertiſſet ab imo; *Noſtrorum Magiſtrorum* induſtriæ evitatio tanti periculi debetur, quod deinde grata Civitas agnovit.

Pragam revertor, cujus Obſidionem, & circa eam ſolitudinem, & miſerum Urbis ſtatum longè antè *Reverendo Patri Caſparo Tauſch Ven. Pater*

perſcripſit; monuítque fami publicæ anteverterent *Pragenſes Noſtri*, duos exercitus brevì ad *Pragam* conſtituros, qui niſi *Praga* provideat, latè omnia circùm depaſti, annonam difficilem ſint reddituri. Ut prædixerat, contigit, *Panirio Pragam* magno exercitu cingente, primùm *Cæſareæ Militiæ Dux Hatzfeldius*, deinde An. 1640. *Sereniſſimus Archidux Leopoldus* feſſis obſidione Civibus ſuccurrit, totúmq; *Cæſaris exercitum* adduxit; ità factum ut à militibus *Cæſareis Cives* annonam emere cogerentur. Alteram etiam *Pragæ* obſidionem An. 1648. & Parvæ Partis Pragenſis occupationem longè antè pluribus prædixit: *Viro Jlluſtriſſimo* ex Italica arundine baculum dedit in manus, cum his verbis: *Jlluſtriſſime Domine hunc ſcipionem diligenter ſerva! veniet tempus, cùm valde illo egebis.* Pragâ captâ, etſi duodecim, ùt vocant, Dominia teneret, eò devenit mendicitatis, dum *Pragam* teneret hoſtis, ut pro ſe, & pro *Illuſtriſſima prole* panem oſtiatim petere oportuerit; narravit hæc *Illuſtriſſimus ipſe*; ſed tandem pace facta abeuntibus Svecis ad priſtinas opes pervenit, poſſeſſionibus recuperatis.

Ad hoc etiam caput pertinet prædictio illa, quam enumeratis pluribus alijs, ſibi quoque à *P. Nicolao* dictam commemorat *P. Godefridus Schubertus*, quam verbis ipſiuſmet recitabo: *An. 1638. cùm tanquam Confeſſarium domûs P. Nicolaum accede-*

cederem, peractâ Confessione, Crucifixi signum ex oratorio cum impetu arripit, móxque me totus lachrymis diffluens affatur: Charissime Magister, amásne ex toto corde Dominum cruci affixum? & cùm ego pariter lachrymis responderem: amo, & per Ejus & Vestræ Reverentiæ merita semper amabo; Crucifixum tam validè pectori meo appressit, ut clausam vestem penetrans reliquerit etiam in pectore meo cicatricem; hoc, inquit, *sit tibi signum in quo vinces; multa enim patieris.* Quàm multa post hæc ab omni hominum genere passus sit *P. Godefridus*, scimus, qui unâ ætate viximus.

Oppolium Silesiæ superioris Urbem transibat *P. Nicolaus*, occurrit parvulus in linea prætexta, quem intuitus Pater, ad Parentes qui aderant, conversus, hæc paucula dixit: *Puer hic postquam adoleverit, nigram prætextam mihi similem geret, quâ in Societate nostra inductur.* Receptus in Societatem vivit, & *Patris Nicolai* vaticinium approbavit, quod sæpius à Parentibus audierat; nomen ejus initialibus literis G. T. exprimo.

Anno 1637. *Olomucij* multùm ædificationi Collegij domus vicina obstabat, neque si illa domus staret, Collegij fabrica, quam Nostri moliebantur, protendi poterat. *Rector* oblato pretio *Illustrissimum* multis precibus fatigabat, ut eam Collegio venderet, & aliam longè commodiorem offerebat, nihil proficiebat, & denique obstinato

animo, negavit se dum viveret venditurum. Hoc intellecto *P. Nicolaus* multis audientibus dixit: *Servemus regulas, & domum istam hoc eodem anno habebimus!* nondum evolutus est annus, *Illustrissimus* domûs illius Dominus è vivis excessit, quódque memorabile est, cùm antea vendere nollet, supremâ voluntate tabulis legitimè confectis, Collegio donavit; quæ omnia in Archivo Collegij Olomucensis consignata leguntur.

Concludam caput hoc de prædictionibus P. *Nicolai* memorabili observatione: affirmat enim primus vitæ scriptor, quod mihi etiam cognitum, perspectúmque est, P. *Nicolaum* plurium obtrectatorum suorum mortes, & tempus, & genus mortis à DEO revelatum habuisse; qua in re videre licet, quàm Divina Bonitas ægrè ferat dilectos suos oppugnari, deinde, quantum DEUS patientiæ P. *Nicolai* tribuerit, qui de morte eorum nullam vindictæ dulcedinem admissurus esset. Cavit plurimùm P. *Nicolaus*, nè quid de rebus sibi concreditis emanaret in publicum, sed cùm aliquando justis de causis, & motu divino, ùt apparebat, uni vel alteri familiarium suorum, rem aperuisset, continuò innatâ hominibus garrulitate, ad plurium notitiam devenit: statim res tam nova, & inusitata *Adm. R. P. nostro Mutio* nunciatur: *P. Nicolai* obtrectatores sinè Sacramentorum susceptione mori, ídque à P. *Nicolao* prædictum. *Admod.*

R. P.

R. P. Noster pro potestate *P. Nicolaum* interrogat: veráne essent, quæ vulgò, quasi *à Patre* ipso dicta, narrarentur? candidè respondit *P. Nicolaus*: omninò ità esse, sibíque à Domino revelatum, plures in pœnam oppugnatæ innocentiæ suæ, & librorum, sinè Sacramentis extinctum iri, plurésq; nominavit, hâc pœnâ plectendos à DEO; quos inter erat, qui humano judicio pœnam hanc minimè merebatur: alter, qui de P. *Nicolao* dixerat audientibus multis: ego istum hominem intelligo, qualis sit; alter, librum de negotiatione cœlesti, quasi inutilibus minutijs refertum contempserat; uterque tamen, ùt *Pater* prædixit, repentinâ morte sublati sunt: Ego alios duos, trésve nominare possum ex obtrectatoribus, qui sinè cœlesti viatico, & ferè repentinâ morte sunt extincti; nimirum sinistra Judicia odit DEUS, & quæ in ejus servis non intelligimus, vult silentio potiùs quàm temerariâ censurâ traduci.

Caput VII.

P. Nicolaus Sigismundo III. Poloniæ Regi primus Victoriam de Roxolanis obtentam, item mortem cujuspiam è Nostris absentis nunciat. Simulatam cujusdam mulieris vitæ sanctitatem detegit.

BEne dictum est : *Anima Viri Sancti enunciat aliquando vera magis, quàm septem speculatores stantes in excelso.* Gerebat bellum *Sigismundus III. Poloniæ Rex*, cum *Roxolanis*, & exercitu in hosticum misso, ipse postea secuturus, *Vilnæ* in *Litvania* constitit. Cùm Sacrum *P. Nicolaus* legeret, qui ipse tum *Vilnæ* morabatur, offertur Visio; videt Exercitus duos dimicantes acerrimè, ac tandem alterum *Roxolanorum* exercitum fugâ dissipari, *Regijs copijs* vincentibus. Absoluto Sacrificio adit *Regem P. Nicolaus*, promissóque â *Rege* silentio, victoriam *Regi* amplissimis verbis eodem die partam gratulatur; addit omnia quæ *Regem* scire oportebat, & gaudio triumphantem, ad DEO agendas gratias impellit. Nihil hujus lætitiæ cum Aulicis communicavit *Rex optimus*, donec post aliquot dies (nam prælium magnis centum Leucis *Vilnâ* commissum erat) citatis equis Victoriæ nuncium ex Castris *Polonicis* accepit ; ferunt hanc victoriam tanti fecisse *Sigismundum*, ut, quod in nulla alia fecerat, eques ovantis ritu urbem obiret, & substrata hostium vexilla equi pedibus calcaret Ex eo tempore *P. Nicolaus* multùm gratiâ, authoritate & amore apud Regem crevit.

Anno 1639. *Iglaviæ* cùm Nostri Patres & Fratres, à cœna, ùt fieri solet, religiosis & lætis colloquijs mutuò sese recrearent, magnúsque eorum esset

esset numerus, qui partim *Pragâ*, quæ tum obsidione Svecorum premebatur, partim ex alijs Collegijs, *Iglaviam* sese receperant, repentè *Venerabilis P: Nicolaus* abrupto suo & aliorum (quod nunquam faciebat, & incivile esse dicebat) sermone, attonito similis exclamat: *P. Georgius Meridies est Praga mortuus!* quo dicto jam tumentibus ad fletum oculis, ad cubiculum suum properavit, & coram *Crucifixo* multis lachrymis ejus mortem deploravit, DEO animam Patris ardentissimis precibus commendans, quòd eum in vita propter virtutem, & singularia DEI dona multùm amâsset. Post triduum *Pragâ* adferuntur literæ, mortem *R. P. Georgij* nunciantes, collatísque temporibus cognitum est illud tempus mortis, quod P. *Nicolaus* dixerat fuisse.

Memorabile est exemplum fœminæ cujusdam in speciem Sanctæ in *Masovia*, quæ *Biedovvna* dicebatur, quæ tam dextrè sanctitatem, atque etiam miracula fingere, & ordinare sciebat, ut totâ illâ Provinciâ nomen admirabilis sanctitatis obtineret: orationi præcipuè dedita totum antemeridianum tempus, quo sacrificia peraguntur, consumebat in templis, tota in lachrymis, & gemitibus, interdum subitò dolore quasi absorpta agitabatur membris omnibus, & in globum convoluta ad spectantium commiserationem humi volvebatur, vociferans pro peccatis populi immitti sibi dolo-

res à DEO, quòd in se pœnas peccatorum transferri à DEO impetrâsset. Inter hos cruciatus nihil frequentiùs audiebatur, quàm illud: *Propter te mi Domine! suscipiat hoc Dominus meus* (malum dæmonem Dominum suum intelligebat, cui se ex asse devoverat) unde nunquam DEUM, aut Christum Dominum nominâsse audita est; sæpe lucis radij ex vulneribus Crucifixi ad cor manúsque mulieris directi à plurimis visi sunt, imò etiam particulæ hostiæ ad desiderium Eucharistiæ tabescenti in os injici videbantur; multos Jllustres virtute & dignitate Viros miraculorum famâ ad se attraxit, qui ejus spiritu & vitâ inspectâ sanctitatem fœminæ deprædicabant. Nihil istorum P. *Nicolaum* permovit, qui verborum alias parcissimus, clarè affirmabat vanam fictámque esse *Biedovvnæ* sanctitatem, quam etiam ob causam multos offendit; præcipuè postquam Vir illustris pietate ac doctrinâ affirmavit, se per merita dilectæ DEO *Biedovvnæ*, à DEO verum animi dolorem de peccatis petijsse, & mox impetrâsse, ut vix peccata præ lachrymis & gemitibus in Confessione enunciare posset, respondit P. *Nicolaus*, non hæc *Biedovvnæ* meritis, sed ipsius Confitentis bonæ præparationi & fiduciæ adscribi oportere, *nam Biedovvnæ sanctitatem palliatam esse*. Verum fuisse P. *Nicolai* judicium eventus ostendit: nam ob multorum millium summam pecuniæ à Viro pio, nomine *S. Barbaræ*

baræ (quæ id peteret) fraudulenter extortam, in jus vocata, plurimis ſimul fraudibus deprehenſis capitis damnata, ſacrilegas fraudes morte luit, quamvìs dæmon in forma equitis ſpectatiſſimi carcerem palàm, & cæteris captivis videntibus ingreſſus, tribus continuis noctibus miſeræ mulieri perſvaſiſſet, anſerinum caput ſuppoſiturum ſe in pœna; ſed verum *Biedovvnæ* caput carnifex oſtendit, & populus exanime corpus cum execratione ſpectavit.

Nobilis per *Italiam Eccleſiaſtes*, multis jam in Urbibus auditus, ad extremum etiam *Romæ* audiebatur, miris populi plauſibus Conciones ejus ſacras proſequentibus; dum alij nervos & robur, orationis vim, alij alia laudarent, unus P. *Nicolaus* quoties eum audiret, quoddam frigus ſentiebat,& nauſeam, quam ſuperare non poſſet; admirantibus Socijs, & quid hoc ſibi vellet neſcientibus; paulò pòſt bonus Eccleſiaſtes, abjectâ virtutis veſte, deſerto ſacro Ordine, cui adſcriptus erat, apertè profugit, totum ſeſe fædiſſimis ſceleribus immergens.

CAPUT VIII.

Dæmoni devotam Mulierem ad frugem reducit; duos dæmones ex obſeſſi corpore pellit; dæmonis in P. Nicolaum odium.

Supe-

SUperioribus libris ſparſim narraveram, quàm implacabili odio malus dæmon in P. *Nicolaum* ferretur, quo nullum certius virtutis argumentum eſt: cùm enim maximè DEUM oderit, conſectarium eſt, ut DEI amicos, & eos maximè, qui Regnum ejus amplificant, oderit & exeeretur. In eam rem aliquot proferemus exempla: Mulier erat nobili orta genere, nec minùs opibus clara, quas moriens maritus multùm auxerat, poſt cujus mortem, illa pro ætatis ludo habebat, amatores domum recipere, iiſque ſeſe totam dare; tandem Divina Bonitas reſpexit miſeram, quæ propudioſâ vitâ, & quæ inde ſequebatur, infamiâ, & totius urbis offenſione, commota, DEI timore cor vellicante à Confeſſione peccatorum pœnitentiam inchoavit, & voluptatibus nuncium remiſit. Cùm homines ceſſarent, en tibi malus dæmon veteris cujuſdam amatoris ſpecie nocte concubiâ comparet, & miſeram ad facinus ſollicitat, & perſvadet. Quot noctibus repetebatur ſcelus. Mulier infelix quid ageret? vel ipſum ſcelus confiteri pudebat, & procus infernalis, ultrò jubebat quò vellet ire, & ſe accuſare, non poſſe ſibi eripi, quam ſemel amare cepiſſet. Mulier fruſtra ſemel iterúmque confeſſionem peccatorum iterat, dæmon factum irridet; nihil conſilij, nihil ſpei ſupererat afflictæ, ad P. *Nicolaum* confugit, conſcientiam aperit, quid pateretur, manifeſtat, petit auxilium;

lium ; ille bene ſperare jubet ; tum fiduciam in DEUM excitat, auxilium Divinum promittit. Muliere in ſpem bonam erectâ, pro omni remedio & amuleto ſvadet, ut venientem hoſpitem verbis contemptiſſimis audacter, & in DEI nomine aggrediatur : *lutulentum porcum, fœdam beſtiam, mancipium inferni, carbonem ignis æterni appellet ; hóccine eſſet Angelicum agere, quod nomini, & naturæ Angeli prorſus repugnet? ſeſe in DEI paternum ſinum projiceret, à quo ſe deſerendam non crederet.* Adfuit amator ſtygius, mulier conſtantiâ plùs quàm fœmineâ, repetit quæ à Patre audierat, quæ cùm cæpiſſet dicere, nec expectato ſalutationis tam probroſæ fine profugit, neque unquam rediit. Habebat hoc P. *Nicolaus* pro documento, quod ſuis, ùt antè dixi, inculcabat, ut, quoties ſuggeſtionem dæmonis aliquam adverterent, contemnerent, optimè enim dæmones contemptu fugari.

Conſcripſerat P. *Nicolaus* libellum, in quo magnâ diligentiâ congeſſerat, ſub certis ſpeciebus peccatorum catalogos, ut eo quaſi monitore adjuti, qui univerſalem peccatorum Confeſſionem facere vellent, facilè in notitiam ſuorum peccatorum pervenirent ; cavebat autem diligentiſſimè *Pater*, nè niſi adultis, & qui malè vitam ſe exegiſſe dicerent, eum libellum oſtenderet. Hìc quoque dæmonis odium in P. *Nicolaum* patuit : nonnemo Sociorum ex *Collegio Romano Gabriel Roſcius,*


ſcius, cùm generalem totius vitæ confeſſionem facere ſtatuiſſet, multis precibus fatigatum *Patrem* coëgit, ſibi ut libellum concederet: monuit *Pater*, cautè & cum cura ſervaret, inſidias ei libro ſtrui; ac primùm quidem mutuator libellum non dimittebat è manu, poſtea nè macularetur, chartam aliam accepit, quâ libellum P. *Nicolai* obvolvit, & nè excideret, chartâ inflexâ, dextráque compreſsâ portavit. Apertâ in cubiculo manu, chartam quidem, cui inſtructionem Confeſſionis impoſuerat, concluſam, ùt antè, invenit; inſtructionem autem ipſius, nec intra involucrum, nec in via, quâ tranſierat, protinùs recurrens, invenire potuit. Re intellectâ P. *Nicolaus* ad preces converſus, eandem inſtructionem occultâ manu reſtitutam recepit; ità furto ſuo prodidit malus dæmon, quantùm libellum illum odiſſet.

Odium quoque dæmonis in Patrem, aliud exemplum comprobavit. *Angelina Paula de Leonibus*, Religioſa Ordinis S. Auguſtini, *Romæ* in Monaſterio S. Luciæ, cùm exercitia ſpiritualia, & inſtructionem vitæ à P. *Nicolao* accepiſſet, apparens aſpectabilis dæmon, Virgini tres colaphos, ut probè ſentiret, infregit, adjecítque inſultans: *Accipe hoc pro amore tui Sancti Patris* (ità illa *Patrem Nicolaum* appellare ſolebat) At *Paula* ſtudioſiùs Patris inſtructiones audiebat, quò magìs dæmoni odioſum eſſe ſciebat, qui varia objiciebat impedimen-

menta Virgini; & cùm aliquando conſcientiæ ſuæ rationẽ Patri ſuo reddítura ſcriberet, ſpectris horrificis circa ſe oberrantibus infeſtata, adeò etiam atramento perfuſa, donec aquâ à Patre benedictâ malum & diuturnum cubiculi ſui hoſpitem prorſus exegiſſet.

Aquæ facta mentio revocat in memoriam complura, & mira quidem ejus aſperſione patrata. Benedicebat eam, ùt in ſacris loquimur, P. *Nicolaus* ſummo devotionis ardore, uſitatis Eccleſiæ orationibus, ſed ejus precibus vim quandam addebat DEUS: conſtat hac luſtrali aquâ aſperſos plurimos recepiſſe ſanitatem. Et nè ſinè exemplo loquamur: *Mariana Kucharska Matrona Princeps, Caſtellani Sierpſienſis Conjunx*, prece præmiſsâ, aquâ illâ oculos conſperſos ſanavit, alteriúſque ulcus ægrum ſuffocans, quod nullis medicamentis ad cicatricem perduci potuit, brevi tempore rupit, & exſiccavit. Hanc medicam aquæ à P. *Nicolao* benedictæ vim ſensêre *Reverendi Patres Carmelitani Excalceati*, qui ex *Cœnobio Pragenſi* quot menſibus aquam luſtralem à P. *Nicolao ex Domo Profeſſa Pragenſi*, cùm *Pragæ* moraretur, petere ſolebant, quòd Tyrones ejus ſancti Ordinis, miros, & ſupernaturales in corporibus & animis, hujus ſacræ aquæ in ſe experirentur effectus, teſtatúrque P. *Godefridus Schubertus*, poſtremâ adhuc ſui diſceſſûs horâ, P. *Nicolaum* à Patribus

bus illis rogatum, ut aquam à se Ecclesiæ ritu benedictam habere possent, quod etiam impetrârunt. Sed unde delapsi sumus ab odio dæmonis, redeamus; non mirum est eos infestos P. *Nicolao* semper fuisse, neque ejus nomen, ùt superiùs probatum est, audire sustinuisse; cùm tot animarum (audeo dicere) millia, ex eorum servitute, in libertatem filiorum DEI vindicârit. Duos etiam dæmones è corpore ejecisse invenio: cùm enim *Romæ* versaretur, impositam sibi à Superioribus energumeni curam DEO fretus suscepit, & adhibita imagine *S. P. Ignatij*, malos hospites ejecit: vidimus hanc imaginem in *Bohemia*, etiámque hodie apud *Illustrissimum Virum* servatur, & quia ipsam historiam rei continet; verba ipsa, quæ *Senex* imagini inscripsit, recitabo: *Dum imago hæc P. Ignatij admoveretur Nicolao Nurcino energumeno, dæmon ex illo exivit, & postea alter dæmon exiens fassus est, priorem dæmonem fugatum esse ab hoc Sancto, quem nominare jussus, primùm noluit, tandem coactus Ignatium esse dixit. Contigit hoc Romæ 3. Martij in templo Sanctæ Catharinæ propè Collegium Anglicanum, Anno 1600.*



CA-

CAPUT IX.

Apparitiones quædam vitâ defunctorum. Angelorum ministerio, præcipuè S. Angeli Custodis, non semel usum P. Nicolaum exempla probârunt.

ILlustre exemplum ex multis adferam: *P. Casimirus Sarbievius* Horatius Sæculi nostri, & *Wladislai IV. Regis Poloniæ* laudatissimus *Ecclesiastes*, *Varsaviæ* Anno 1641. vitâ excessit; habitabat tunc temporis *P. Nicolaus in Collegio Provinciæ Boëmiæ Glacensi*, Patres tertiæ probationis informans; cùm illâ ipsâ mortis horâ vigilanti & oranti *P. Nicolao*, *P. Sarbievius* adstitit, suffragia & auxilia flagitans, quæ cùm promisisset Pater, evanuit. Manè alterius diei P. *Nicolaus* animam P. *Sarbievij* suis Patribus commendat, quasi de ea re literas *è Polonia* accepisset, putans neminem fore, qui tempus observaret. Nuncium diu pòst accipiunt diversi, & temporibus collatis P. *Nicolaum* convincunt, cogúntque fateri, post primam noctis horam *Sarbievium* statim à morte apparuisse supplicem, & auxilia precum postulâsse. De hac apparitione hæc pauca in suo libello annotavit Senex: *Anima cujusdam Nostri circa mediam noctem, Varsaviæ mortui, secundâ circiter horâ*

post excessum de corpore, oranti & vigilanti apparuit Glacij, mæsto vultu, indicans necessitatem suffragiorum. Tempus præterea mortis ejus agnovi ex R. P. Provincialis Poloniæ literis ad me datis, qui interfuit morienti. Nihil dubito *P. Sarbievium* ea auxilia retulisse, quæ retulit *Æmilia Muta, Monialis Turris speculorum*, quæ Anno 1630. apparens gratias agi jussit pro Sacrificio Missæ statim post egressum animæ de corpore, à P. *Nicolao* oblato, & pro actibus internis ardentissimè pro moriente DEO oblatis.

Anno 1637. fœmineis ululatibus, & gemitibus totum *Collegium Olomucense* nocte implevit *Sancti-Monialis* quædam *Romana*: audivêre eam Italicè cum P. *Nicolao* loquentem, & gementem multi Patrum, qui in vicinia P. *Nicolai* habitabant; nihil fuit in Collegio illâ apparitione notius, & celebratius. Interrogatus *Pater* à familiari suo *Patre Godefrido Schuberto*, ingenuè fassus est omnia: *Monialem Romanam* fuisse, quam ob quosdam in via spirituali defectus & peccata sæpiùs corripuerat; ob illas Virginem ad Purgatorij cruciatus dejectam, & apparentem ad mediam spithamam ardentibus prunis coopertam stetisse. Hanc postea *Pater* sacrificijs adjuvit, & pœnis exemit, quæ grata redijt ad liberatorem, & singulari affectu gratias dixit.

Calissij dum *Rectoris* munus obiret, quoties ce-

ce-

lebraturus è ſacrario prodibat *Pater*, gemitus ex ſepulchro Noſtri cujuſdam audiebat; lecto iterum iterúmq; pro anima ejus Sacrificio Miſſæ, & commendatâ publicè Socijs defuncti animâ, gemitus conquievit. Qui alijs pia precum auxilia adferebat P. *Nicolaus*, eadem ſibi, ùt piè credi poteſt, in præmium charitatis ab Angelis impendi vidit: Anno 1636. *Olomucium* ex *Polonia* contendens, ubi *Collegium Olomucenſe* attigit, veſtem viatoriam exuens animadvertit ſibi deeſſe, quam ſemper collo proficiſcens geſtabat, Reliquiarum ſacrarum thecam, quam ſcilicet in tranſitu *Collegij Oppavienſis* reliquerat; ſtatim jacturâ tam nobilium cimeliorum, dente ſcilicet *S. Ignatij & S. Benedicti*, aliiſque commotus, genua humi ponit, & ſublatis in cœlum oculis, piéque manibus ad orandum compoſitis, ingenti fiduciâ DEO ſupplicat, ut, quod amiſerat, reciperet! cùm ecce inviſibili manu ad oratorium cubiculi ſacer ille Reliquiarum theſaurus deponitur; quo viſo incredibili gaudio delibutus P. *Nicolaus*, DEO publicè gratijs actis, ſacram illam thecam plurimis oſculis ſalutat. Nullus fuit Noſtrorum tum præſentium, qui auxilium Angelicum non agnoſceret, qui innatâ ſibi celeritate tam brevi tempore grandia octo milliaria metiri & remetiri potuerint, & quod petebatur referre.

Aliud ídque ob perpetuitatem pretioſius be-

neficium, ab Angelis ac præcipuè *Custode Angelo* accipere se non diffitebatur, ùt narraveram Lib. 1. cap. 20. P. *Nicolaum* scriptis suis charissimis, tum alijs rebus omnibus pretio aliquo dignis, à prædonibus in sylva spoliatum, & in obedientiæ præmium multas à DEO prærogativas accepisse, maximè in scribendis, quæ vocabat, Opusculis; præcipuum inter ea meritò censeri potest illud, quòd in librorum scriptione, cùm suas Doctrinas *Sanctorum Patrum* authoritate & sententijs adductis confirmare cuperet, statim ubi primùm aperuisset librum, sententiam reperiret maximè Doctrinæ suæ congruentem, quod etiam ante me factum vidi; dicebátque, si qui etiam adessent: *en Bibliothecarius meus! quàm bene callet singula, & quàm versatus est in SS. Patribus*; huic Angelico auxilio adscribendum videtur, quòd facto semel scribendi initio celeritate mirabili, sinè ullo adminiculo librorum, opuscula sua absolveret, ùt factum vidimus in *Arce Carlsteina*, ubi intra octo dies librum justæ magnitudinis *de recollectione octiduana*, confecit, & intra triduum *Brunæ* laudatissimum illud & sat longum opusculum *de Fratribus Coadjutoribus Soc. JESU*; addidit se *Angelum suum Custodem pro Bibliothecario & Amanuensi* habere, quo sensu hoc accipiendum esset, non explicuit.

Ad Sanctorum Angelorum custodiam spectare etiam videtur, quòd in multis periculis servatus

sit,

ſit, quæ aliàs humanæ prudentiæ imputare non possumus: verba Patris ipsius ex arcano libello referam: *quinto vel ſexto ætatis anno duæ currûs rotæ equo tmbente utramque tibiam ejus ſupergreſſæ, non modò non fregerunt illas, ſed nè leviſſimo quidem dolore tenuibus tibialibus tectas affecerunt.* Cùm iter faceret *Cracoviâ Leopolim*, pervenerat ad fluvium *Vislek* ſitum inter *Tarnoviam & Denvicam*, latè ſatis ac profundè fluentem, qui nonniſi magno navigio ſuperatur; tenebræ poſt Solis occaſum ingruentes, imò ipſa nox vicina properare iter ſvadebat, at navigium deerat. Fiduciâ in DEUM excitatâ juvenem aurigam jubet, flumen ingredi: nullum periculum ſe objecit, currus, vix rotis aquâ tinctis ſiccus omnino exivit, cùm tamen in reditu paulò pòſt ſolito remigio omnino utendum fuerit, niſi perire vellet. Cùm eques ipſe in cauſa *Collegij* in *Uſcie* reverteretur, trabem ante ſe ſitam non advertens, magno impetu in eam fronte incurrit; conterritis & periculi magnitudine conclamantibus omnibus, P. *Nicolaus* dolorem nullum perſenſit, & cùm frontem *Patres noſtri* inſpicerent, nec rubor ullus, multò minùs livor, aut aliquod veſtigium tam gravis percuſſionis apparuit.

Minimum eſt, quod ſequitur, ſed magnum Divini favoris argumentum: Medicorum ſvaſu fonticulus in carne aperiendus erat ſectione Chirurgi; is ſive inſcitiâ, ſive alia de cauſa locum ido-

neum invenire non poterat. jámque in plures annos res protracta erat, dum foveolæ locus quæreretur; pertæsus tam longæ expectationis Pater, ad DEUM recurrit, & post fusas preces sponte fonticulus aptissimo in loco aperuit sese, & sinè ulla Medicorum ope fluere cœpit, *Patre Nicolao* beneficium agnoscente, & DEUM laudante.

CAPUT X.

Varios morbos curat, cæcis aut cæcutientibus lumen restituit.

TOt *Venerabilis Pater Nicolaus* ægrotis, & periculosè laborantibus opem attulit, ut ipsâ frequentiâ curationum in ægrotis spem excitaret, ex qua deinde spe plurimi curarentur, ut, quò accederet *Pater*, eò certa salus & vita accedere crederetur. Referam in Exemplum paucula, sed testimonijs, & instrumentis, ùt vocant, ritè firmata: multis annis pedum dolore laborat *Stanislaus Kucborsky Castellanus Siprcensis*, Vir opibus & *Senatoria dignitate* (sic Proceres appellant *in Regno Poloniæ* illustris, gravi negotiorum publicorum detrimento, cùm domo ad consilia, & Senatorias Functiones efferri opus haberet, & tot fortunæ, & Reipublicæ munijs obeundis par non esset, singulari suorum mœrore, qui ab

ab homine prudentiâ conſpicuo, magna meritò expectare potuiſſent, grallis indecorè nitebatur, quoties gradus faciendus eſſet. *Caſtellani* hujus ædes, cùm P. *Nicolaus* Anno 1633. familiariter ſubijſſet, inter amica colloquia, repentè grallam quâ nitebatur, *Stanislao* ex manu ſurripit, affirmans non decere tantam Viri dignitatem his fulcris ligneis inniti; exclamat *Stanislaus* ad periculum, ſe cadere, & pedibus conſiſtere non poſſe, ſed inter ipſum periculum ruinæ, animadvertit ſe pedes ſanos & obſequentes habere, ac firmiter conſiſtere,& progredi poſſe. Vixit diu curatis pedibus, & deſcriptâ rei totius, ùt geſta erat, hiſtoriâ, miraculum evulgavit, multis de ea re literis totâ Poloniâ ſparſis; inſuper, ùt erat Vir liberalis & magni animi, *Collegio Poloniæ Plocenſi* ſuprà decem millia ultimâ voluntate donavit. Qui miraculum hoc deſcripſit *P. Caſimirus*, fatetur quidem aliquod indicium clauditatis inpoſterum prætuliſſe Stanislaum, ſed tamen cum decoro & integrâ pedum ſanitate; quod ipſe *P. Nicolaus* in curatione innuerit, cùm diceret: *Stanislaè non plenè convaluiſti, quia non plenè credidiſti.* Cœleſtem & medicam opem in ſe expertus idem *Stanislaus*, filiæ quoque ſuæ *Marianæ*, quæ poſtea *Pomeraniæ Caſtellano* in manum venit, videndi facultate per annos plurimos deſtitutæ, per *P. Nicolaum* viſum reſtitui optavit; at quia audierat *P. Nicolaum* ægrè

induci posse ad aliquam ejusmodi curationem, si res miraculo acciperetur, accedit dissimulanter, & narrat, filiam suam domi langvere, & oculis excruciari; proinde rogare se *Patrem*, ægram inviseret, & oculos ægrotantis inspiceret, si quid fortè remedij & consilij haberet; interim in animum induxerat bonus Parens, illo *P. Nicolai* attactu, aut etiam solo aspectu malum pelli posse. Multis precibus fatigatus *P. Nicolaus* ad ægrotam venit, aquâ lustrali toto gynæceo præsente domum conspergit, tum Virginem Jllustrissimam afflictam blandè solatus, videndi & tangendi palpebras veniam sibi fieri reverenter à Virgine postulat; vix attigerat, & Crucis signum lenissimè oculis impresserat, momento restitutus est visus, *Marianâ* præ gaudio lachrymante, totóque domesticorum, & domesticarum choro lætis vocibus sanitatem gratulante, & *P. Nicolao* gratias agente; quæ fama deinde totam *Poloniam* admiratione miraculi complevit.

Sequens exemplum, quod in *P. Casimiro Kojalovvitz* patratum esse nihil dubito, ipsius verbis recitabo: *Fuit quidam Sacerdos Præfecturæ P. Nicolai in tertia Probatione subjectus, corporísque ac animi ægritudine pariter afflictus, quòd à conclusa Theologia prima, oculorum dolore & fluxu per tres ferè menses graviter invalescente, non leviter metueret, nè ad officia Societatis secutum ineptus redderetur.*

retur. Rogavit igitur à P. Nicolao, pro ea, quâ utebatur apud eum benevolentia, ut quandoquidem alijs copiosa à Divina Benignitate in eorum necessitatibus impetraret auxilia, sibi quoque in præsenti non deesset casu. Risu tamen & verbis ad increpandum compositis expeditus, nihil præter spem semel susceptam retulit; malo ità aucto, aut continuato, ut nè quadrantis spatio sinè gravi defatigatione librum versare liceret, & quoties ad mensam religiosam prælegendum esset, oculorum altero per vices clauso, utendum esset, pluribus diebus spe dilatâ, & quasi oblivioni traditâ. Circa crepusculum (quod etiam integerrimis oculis grave sit necesse) *Pater Nicolaus Sacerdotem illum adit, mandatum ab Adm. R. P. Vincentio Caraffa missum, quo in virtute obedientiæ præcipiebatur, ut quæcunque singularia DEI dona circa se experiretur, in Urbē descripta mitteret, exponit: eúmque pro describendo libello justæ magnitudinis designat. Tacente Sacerdote negâsset oculorum defectus obsequium, nisi mens non vana subijsset, eâ ratione expetitam priùs opem offerri. Invocatâ igitur per ejusdem merita Divinâ Clementiâ, characterem Patris æger arripit, eóque oculos defluentes simul & semel instantaneo succursu, doloribus & fluxu abstergit. Recurrerunt quidem aliquoties puncturæ fugati doloris, sed adeò leves ac nullæ, ut vix sentirentur; adeò fugaces, ut quoties character ille Medicus applicaretur, prorsus diffuge-*

 rent,

vent, donec re P. Nicolao ex vero relatâ, postulatum ab eodem, ut postero tempore imperaret fieri secundùm fidem hanc. Factum est, ac fit, aliquot supra decennium annis nullis signis vitiosis redeuntibus, ut benedicatur semper benedictus à sæculo in servis suis Dominus. Hæc P. Casimirus. Quam curationem ad ipsum pertinere stylus, & affectûs, quo narravit, teneritudo conjecturam prudentibus præbet, & satìs evidenter ex illo probatur, *quòd ægroto oculis, DEI dona, in se collata, P. Nicolaus describenda commiserit*; *P. Casimirus* verò libri sui principio, Præfatione ad Lectorem, alibíque sæpiùs fateatur, se DEI dona, & gratias scripto esse complexum, jussu *Adm. R. P. nostri Vincentij*, ipsomet *P. Lancicio* dictante.

Ad oculorum quoque curationes pertinet, quod nunc adfero: ibat *Nesvisio ad Residentiam Probrovyscensem* visitandam, tum *Provincialis P. Nicolaus*, cùm in via (Stuckum locus dicitur) vir oculis prorsus vitiatis, magno clamore dolorem, qui in oculis acerrimus est, contestans currit. *Pater Provincialis* in occursu sciscitatur, quid sibi inconditis istis clamoribus velit, quid doleat, quid ejulet? respondet miser: oculorum se dolore tanto, támque continuo cruciari, ut explicari non possit, jam etiam omnes Medicorum artes superare malum, & pecuniâ frustrà expensâ Medicos à se abijsse; subridens *P. Nicolaus*: *Non est*, inquit,

quit, *quod ultrà crucieris ! ſol nimius te perſtringit ! hinc ille dolor ; en tibi meum ſtrophium , quo oculos contra lucem obtegas , ſatis ſcio malum omne ſublatum iri.* Nec plura Pater : currum conſcendit (nam antè ad cæcum deſcenderat) paruit cæcus, & oculis obligatis ire perrexit; dúmque ſolem maximè vitat , lucem & ſolem diu antè non viſum innoxiè, & inpoſterum ſemper hilariter ſalutavit, ac ex itinere revertentem Patrem, in publica via ſuum illuminatorem eſſe , & qui ſibi oculos reddiderit, publico præconio appellavit cum gratijs ; at Pater in ſolem prudenter vitatum ſpeciem hanc miraculi tetulit , joco ſinè dubio , cùm appareret unâ ſolis abſentiâ , aciem oculorum, & vigorem momento reſtitui non potuiſſe , neque tam acerbos dolores auferri.

Caput XI.

Iterum de eodem morborum argumento. Hernia & procidentia viſcerum Patris Nicolai oratione breviſſimâ conſtringitur.

FElicem & medicam manum DEUM ſervo ſuo P. *Nicolao* dediſſe pluribus exemplis docuimus, reliqua cùm in fine motus ſit velocior,

cior, brevissimè perstringemus: Laborabat febre *Marescalli Litvaniæ filius Casimirus Tyskievvicz*, hunc ægrotantem cùm invisisset P. *Nicolaus*, impacto levi colapho momento persanavit, febre nunquam reversâ. Hujus curationis testem omni exceptione majorem habemus *Jllustrissimum Dominum Georgium Tyskievvicz Vilnensem Episcopum*. Geminum est, quod jam adducam: *Jllustrissimi Domini Casimiri Sapieha, magni Ducatûs Lithvaniæ Procancellarij Nobilissima Conjux* atrocissimis capitis doloribus excruciabatur adeò, ut nullam neque diurnæ, neque nocturnæ quietis partem capere posset. Hanc P. *Nicolaus* adiens, quasi per jocum lenissimâ manu percussit, continuò dolores omnes abscessêre; notavit P. *Casimirus Kojalovvicz* multos varijs doloribus pressos simili ratione & attactu esse curatos.

Roma alia suppeditat exempla: exierant cum *P. Nicolao* Tusculum animi causâ aliquot è Socijs; in itinere sociorum unus aliquis, *Paulus Soriolanus* nomine, tantis repentè torminibus & tormentis viscerum exagitari cæpit, ut iter continuare nullo modo posset; negabat se per omnem vitam majores persensisse dolores. P. *Nicolaum* ex proximo advocat, & precum auxilium exposcit; is protinus ad orationem conversus, per *Divi Ignatij* merita supplicat DEO, nè relaxationem animi, quam ex obedientia quæsivissent, tam intempestivo

tem-

tempore abrumpi ſinat; ubi ab oratione ſurrexit P. *Nicolaus*, ſurrexit etiam *Soriolanus*, & nullo doloris veſtigio relicto lætus iter ſuum proſequitur, totúmque hoc P. *Nicolai* precibus dedit. Geminum prorſus eſt, quod cum *Nicolao Coſmanno* contigiſſe authores habeo.

Jlluſtrius eſt, quod ſequitur: multorum menſium ſpatio graviſſimè cum febri conflictabatur *Stanislaus Porembsky* noſter, cui Romani Medici nequicquam remedium adferre tentaverant, imò prædixerant acceſſuram ad febrim phthiſim, quæ Juvenem conficeret, niſi cœlum, *Romanum* ſcilicet cum Patrio Polonico commutaret. Hâc denunciatione magìs quàm morbo dejectus Stanislaus, ad *P. Nicolaum* tum Romæ præſentem, auxilij petendi causâ accurrit, invocaret pro ſe *Beatum Stanislaum Koſtkam*, excitatâ interim ſpe, ſi *id à Beato Pater Nicolaus* peteret, certiſſimò quod petebatur obtenturum. Contempſit, aut potiùs neglexit poſtulata P. *Nicolaus*; ſed mox cùm Sacerdotalium precum penſum abſolveret, interiore imperio adactus, nihil antè de ea re cogitans, perpelli ſe ſenſit, & magno impetu hæc verba quodammodo in os inſeri, & effundi: *In virtute DEI per merita Stanislai impero tibi febris, ut omnino diſcedas, & non redeas ab hac vice ad Stanislaum.* Proripuit ſe deinde ad ægrotum, & ſpem certam ſanitatis habere juſſit, febre inpoſterum

ema-

emanente. Expertus hunc tam facilem curationis modum Stanislaus, capitis dolore, & ventriculi vagis cruciatibus vexatus à Philoſophia ſcribenda removebatur à Medicis, qui ad extremum ipſam lectionem ſcriptorum vetuerunt, ad *P. Nicolaum* iterum recurrit, iterúmque curatus eſt.

Neque modò *P. Nicolaus* ægrotos præſens curabat, ſed etiam per internuncios morbis imperabat: ità factum cum *Govvazevius* febre moleſtiſſimâ & magnum dolorem deferente jactaretur; miſit enim pro ſe *Melchiorem Zbieravvsky* cum mandatis, febri ediceret, ut protinus ab infirmo diſcederet; ſimul dixit mandatum, febris diſceſſit. Idem probatum eſt in filio *Domini Zapolsky Dapiferi Siradienſis* jam moriente, & à ſuis deplorato, cui miſſa *B. Virginis* precatoria à *P. Nicolao* corona reddidit ſanitatem. Quin ipſe adeò aſpectus *P. Nicolai* cuidam *Ioanni Kaliczky* An. 1620. ùt refert *P. Kojalovvicz*, in periculo ſuccurrit: hærebat in gutture toto die oſſiculum tranſverſum, & Juvenem penè enecabat; adductus ad præſentiam *Patris*, qui tum temporis exhortationem habebat ad Socios; videt alio atque alio vultu & vario inter dicendum apparere, eóque aſpectu attonitus periculum & dolorem amiſit.

Memoratu & illud digniſſimum eſt, quod *Pragæ in Profeſſorum Domo* in amiciſſimo & familiariſſimo meæ ætatis Juvene *Societatis noſtræ* Religio-

gioſo, patratum eſſe, fide Sacerdotali interpoſitâ teſtari poſſum. Anno 1641. hernia inobſervata primùm, tandem unius & medij intervallo anni, ac fortè ampliùs, ità excreverat, ut aliquando greſſum commodè figere, & progredi non sineret; accedebant acuti dolores, & punctiones viſcerum extra naturalem locum pendentium, præcipuè in mutatione temporum moleſtæ; jam diſſimulari malum non poterat; juvenis cui in *P. Lancicio* erant omnia, ad eum *ex Collegio Antiquæ Urbis Pragenſis*, ſeſe confert; erat feſtus dies, & *Pater*, ùt ſolebat, & Lib. 1. narratum eſt, muſicæ piè intentus, totus divinis affectibus diffluebat, non procul à Muſicis ambulando: explicat dolorem Magiſter, conſiliúmque & auxilium à *Patre* poſcit; ille ubi rem totam percepit: *quid*, inquit, *clam me rem tantam eſſe voluiſti? cur non priùs tuam hanc neceſſitatem aperuiſti?* mox elatis in Cœlum oculis, neſcio quæ ſacra verba pronunciat, quæ notare *Juvenis* dolore prohibente non poterat, ſimul juvenis manu inviſibili læſam corporis partem ſentit apprehendi, & magno conatu conſtringi, ac niſi res in publico acta fuiſſet, dolor exclamare coëgiſſet; ſed ab eo tempore non ultrà progreſſa eſt hernia, neque tamen ſublata, ſed nè impedire ambulationem poſſet, elata & tam fortiter adſtricta, ut per quadraginta & ampliùs annos nullo ligamine opus eſſet, & ſe ad curſum, & ad

omnes

omnes necessarios labores idoneum & habilem, non secùs quàm si herniâ careret, experiretur, omni inposterum dolore, & molestia, quæ ex mutatione temporum oritur, vacuus & absolutus.

CAPUT XII.

Paupertati & inopiæ Collegij sui auro mirabiliter invento succurrit. Aëris & maris tempestates grano S. Joannæ componit. Patrem quendam morientem attactu crepidæ restituit sanitati.

LIberalem animum, & maternum in suos amorem, dum Rectoris partes ageret, jam Lib. 1. cap. 14. prædicaveram satis, quem DEUS miraculo vini non deficientis, & inexhausti, sibi placere ostendit; aliud simile eóque majus, quod in grandi pecuniæ summa (nam pecunia virtute omnia humana, quæ dari possunt, continet) contigit, adducam: Rectoris nomine *Collegium Calissiense* regebat, quod ità obæratum, & ab omnibus, quæ vita humana reposcit, præsidijs nudum invenit, ut nulla ratio humana appareret paupertinum illud Collegium sustentandi; ergo, ùt solebat *P. Nicolaus*, ad DEI opem conversus, necessitates Collegij fidenter in oratione aperit, nihil dubitans, paternum DEI cor ad preces filiorum mol-

molliendum, & aperiendam manum ad benedictionem. Finita oratione, quam antea cistam vacuam tristis reliquerat, aperit, & aliquot centenis florenorum onustam reperit, cùm constaret nullum mortalium tam subitò pecuniam inferre potuisse. Quod cùm Socijs lætus retulisset Pater, adjecit: sibi experientia cognitum, DEUM in extremis necessitatibus succurrere, quando non solis humanis industrijs, sed vivâ & indubitatâ fide creditur Euangelio, & Regulæ in illo dicenti: *Quærite primùm Regnum DEI*, &c. *Regulæ* verò nostræ: *Quò quis se liberaliorem erga DEUM* (addebat, & servos suos domesticos) *exhibet, DEUM pariter erga se, & suum officium modo admirabili liberalem experietur.* Majus & clarius Divinæ liberalitatis documentum accepit, cùm *Provincialis Litvaniæ* munus deponeret: angebatur maximopere *P. Nicolaus*, quòd in aptanda in Societatis commodos usus, varia *Collegia* septem Polonicorum florenorum millia expendisset, ídque æs alienum successori persolvendum, & molestam curam relinqueret; idem quod nuper & P. *Nicolaus* orando, & DEUS dando facere dignatus est: dum *Archivi* literas excutit, quinque millia florenorum apparent, néve existimaretur antiquum aliquod depositum, & non recens donum esse, erat moneta prorsus aurea, & tam floridi & fulvi metalli, quasi jam primum ex monetaria officina prodijsset, & ab ea

caleret. Duo reliqua florenorum millia sub idem tempus, *Vir pius*, & *P. Nicolao* peramicus, licèt nihil de necessitate Patris audierat, donavit; ità simul timore omni absolutus est *Pater*, satísque patuit DEI providentiam, *quæ attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, huic liberalitati Ducem & Authorem fuisse, nam septem millibus quæ debebat Pater, nec quidquam defuit, nec superfuit, & novitas auri, & subita inventio, & simultaneum inventionis & donationis tempus, quid cogitandum esset, ostendit.

Idem qui ad orationem P. *Nicolai* munificum se ostendit DEUS, etiam pericula ad ejus preces avertit. An. 1637. grandis & metuenda tempestas ante Olomucium stetit, fulminibus crebris & tonitribus passim per aërem decurrentibus, cum ingenti Civitatis & terræ concussione, & hominum pavore; ad P. *Lancicium* quid ageret visuri, accurrêre quidam Sociorum, intérque eos P. *Godefridus Schubertus* (qui hæc memoriæ posterorum consignata reliquit) tum *Pater* intrepidè *Cruce Caravacensi* arreptâ signum Crucis ex fenestra in aëre format, & sacra quædam verba, quæ P. *Schubertus* non bene percepit, pronunciat; illico tempestas conquievit, & nigræ illæ nubes quasi laceratæ cœlo serenitatem restituerunt.

Eandem serenitatem & malaciam mari reddidit P. *Nicolaus*, cùm enim domum ex Italia per mare

mare Venetum navigaret, agitari fluctibus, & huc atque illuc projici cœpit, quâ vehebatur, navis, magno Religiosorum Virorum, atque etiam nautarum timore; tum P. *Nicolaus* in corona illorum *S. Joannæ* granum (quod semper è collo cum alijs Sanctorum reliquijs suspendebat in via) eximit, eóque aliud granum attingens in fluctus projicit; vix immersum erat, detumuêre fluctus, & optata quies mari reddita est. Hoc ajebat P. *Nicolaus*, primum fuisse miraculum, quod suô Joannæ grano, & *S. Joannæ* invocatione patratum esset. Secuta sunt alia innumera, ità ut ab hisce granis admotis, in diversis Provincijs infinita propè miracula, vel potiùs gratiæ, processerint, quæ *Annales Collegiorum* impleverunt. Opportunè ad granum *Sanctæ Joannæ* dicendum est, quâ ratione illud donatum acceperit, quia speciem aliquam miraculi continet. An. 1630. cùm Romæ esset (hujus narrationis ipsum P. *Nicolaum* habemus Authorem) & Monasterium *RR. PP. Franciscanorum* adiret, ad portam constitit; residebat in eo Monasterio totius Ordinis *Minister Generalis* (si non fallit memoria) à *Prato* nomine, qui nihil de adventu Patris suspicans, interno & repentino movetur, & monetur instinctu, ut unum aliquod granum ex Originalibus *S. Joannæ* secum deferat, & ei quem primum in porta Monasterij invenerit, donet; dũ descendit, reseratâ portâ, in *Ven. P. Nicolaum* inci-

cidit, quo viſo nullâ prece aut ſalutatione à *P. Nicolao* præmiſsâ, *Adm. R. P. Generalis*: *hîc habet*, ait, *Reverentia veſtra, quod petiturus venerat*, ac ſimul ei candidè monitum cœleſte aperit, ac nè dubius Pater hæreret, legitimo & publico deſuper inſtrumento poſtea confecto *Notarij Apoſtolici* Sacrorum Rituum ſigillo (quod ſe vidiſſe & exemplar illius penes ſe eſſe *P. Schubertus* affirmat) communivit; hæc prima fuit grani illius ſancti in has Provincias illati origo.

Exemplum de moriente Sacerdote noſtro, & à P. *Nicolao* tum *Provinciali Poloniæ* mirabiliter curato, diu dubitaveram, an apponere oporteret, quòd & nomen Patris non haberem, nec annum dicere poſſem, quo contigerit; ſed cùm hæc longè extra *Poloniam* ſcribantur, & initio Libri hujus juxta decretum *Sanctiſſimi Domini Noſtri Urbani VIII.* Proteſtationem præmiſerim, hæc à me ad præſtruendam viam ad Canoniſmum P. *Nicolai* non ſcribi, cúmque præterea magnum Authorem, quo niti poſſim, habeam, percenſebo: *Cracoviam* venerat *Provincialis*, Collegium illud viſitaturus, poſt aliquantulum temporis jam compoſitis viatorijs oneribus & negotijs, more ſuo Valetudinarium noſtrum ingreditur, videt *Profeſſorem Matheſeos* jacere à Medicis depoſitum, & oleo ſacro ad luctam ultimam inunctum, inſtinctu Divino urgente, quo plerumque in hujuſmodi miris

actio,

actionibus agebatur, crepidâ à pede ſuo detractâ ægrotum tangit, & jubet protinùs, ac ſinè mora ſurgere; ſurrexit æger illico, & ſanitatem recepit nullo morbi veſtigio relicto. Hæc P. *Caſimirus Sarbievius Wladislai Regis Poloniæ Eccleſiaſtes* An: 1633. Provinciam noſtram tranſiens pluribus Patribus noſtris præſentibus publicè comemoravit.

Hîc ego miris à P. *Nicolao* patratis finem neceſſariò impono, nam alia plurima adferri poſſent, ſed ferè ejuſmodi ſunt, quæ famam tantùm habent Authorem; ſi cui hæc non ſufficiant, Librum primum conſulat, in quo multa admiranda reperiet, quæ ego hìc repetere, & Cramben recoquere ſupervacaneum, & inutile eſſe putavi.

Caput XIII.

Magnorum Virorum prudentiâ, doctrinâ, rebus geſtis, & authoritate illuſtrium, de ſanctimonia vitæ P. Nicolai, tum etiam de opuſculis, ejúſq; ſpiritu judicia.

LIbro primo hujus libri ſparſim multa attuli de æſtimatione Regum, Procerum, Eccleſiæ Præſulum, & omni nobilitatis, doctrinæ, virtutis merito Jlluſtrium Virorum, qui P. *Nicolaum* noverant judicia, & quo in loco gratiæ, honoris & æſtimationis apud eos vixerit, certis &

non dubijs documentis probavi; hìc alia quædam non minùs certa adferam, unde res tota cognosci possit. Inprimis hoc mihi dari postulo: scripta illius & opuscula, ùt ille appellare voluit, ab omnibus irrefragabilia habita fuisse, etiam ab ijs qui varijs de causis, quas nuper attuli, minùs favebant, sed neque oppugnari posse, eò quòd authoritate Sanctorum Patrum & Theologorum, quos semper citat, nitantur; vitam etiam optimi Patris nunquam oppugnatam esse aut legi, aut memini; sed qui Viro Sancto adversabantur, Sanctum Virum esse agnoscebant, aliqua tamen reprehendebant in dictis & factis, quæ eo tempore dici, aut fieri non oportuisse sentiebant, cùm interea Vir optimus Divini spiritûs impetum ad hæc dicenda aut faciendа incitantis cohibere non posset, & sæpe cùm hæc aut illa dixisset, ùt egomet animadverti, se dixisse ignoraret, méque sæpius interrogaret, an revera dixisset; quæ prædictionem aliquam continebant, mirabatur se dixisse, quæ tamen omnia evenisse scimus. Sed hæc omnia antè explicui, cùm de causis adversitatum differerem; ad propositum & testimonia maximorum Virorum accedamus.

Primum nominabo *Celsissimum Principem Ferdinandum à Fürstenberg Episcopum Monasteriensem*, Principem omni literarum genere excultissimum, qui mihi hujus libri scribendi Author fuit, & per

R. P.

R. P. Joannem Kloppenberg Soc. JESU ſemel iterúmque ſignificavit : habere ſe in animo, & antiqua P *Nicolai* opuſcula duobus voluminibus comprehenſa, & nova quæ excuſa non erant, & apud diverſos invenirentur, ſuis ſumptibus imprimendi, additâ principio Tomorum, ùt fieri ſolet, *R.P. Lancicij* vitâ, quam à me conſcribi optaverat, cùm inter paucos unus ſupereſſem, qui Patrem noviſſem familiariter, ejúſque conſvetudine aliquot annos uſus fuiſſem; ſumptus omnes ſuppeditaturum ſe, & alia quæ requirerentur, ut nihil dubitarem de ſucceſſu negotij. Hunc ergo potentiſſimum Principem, in Partibus habebam, quem mihi proh dolor! mors inopinata ſuſtulit; atq; ego ipſe ſubinde Apoplexiâ proſtratus, manuum uſu ad ſcribendum deſtitutus, ùt initio Libri præfatus ſum, hæc omnia quæ his tribus libris adduxi, Amanuenſi meo dictare ſum coactus. Jam ad antiquiora de *P. Lancicio* teſtimonia.

Robertus Bellarminus Sac. Rom. Eccl. Cardinalis non ſemel dixit, dum *Collegium Romanum* regeret: *P. Lancicium* præ omnibus ſocijs charum ſibi, & æſtimatiſſimum fuiſſe; idémque tribus ante mortem ſuam menſibus, An. 1621. cùm facilè ducentis & amplius milliaribus Româ diſtaret, manu propriâ literas dedit, ut ſibi felicem mortem impetraret à DEO, & Purgatorium breve. Hoc *Chirographum* Cardinalis An. 1642. in *Provincia Boëmiæ* vidimus & legimus.

Sancta Maria Magdalena de Pazzis, cùm nunquam *P. Nicolaum* usurpâsset oculis, utpote *Florentiæ* procul à *Roma* in *Cœnobio* sui Ordinis degens, in quodam tamen raptu *P. Nicolaum* vidisse se *Patri Confessario* suo narravit, & totam vultûs & corporis constitutionem descripsit, ùt Confessarij literæ *Romam* missæ testantur. Eadem *Sancta Virgo* quoties *Romam* ab illa aliquis proficiscebatur, *P. Nicolaum* amantissimè salutabat, munuscula spiritualia à se concinnata per Nepotes suos mittebat, cum eo raptus suos & cælestia lumina communicabat, & ejus sensum de ijs exposcebat. Nominatim *P. Nicolaus* nobis ostendit examen conscientiæ in quodam raptu A. 1592. 5. Aprilis factum, quod ego ipse legi, & adhuc aliquorum versatur in manibus.

Adm. R. P. Claudius Aquaviva, tum successor ipsius *Mutius Vitellescus*, tum tertius *Adm. R. P. Caraffa*, quanti sanctimoniam *P. Nicolai* facerent, multis & indubijs documentis demonstrârunt: primus quidem perpetuo in Patrem affectu, & ejus visionum approbatione, atque etiam honoratissimis munijs delatis, cùm quinto Sacerdotij anno, eundem *Collegij Romani* totius Societatis maximi, Præfectum spiritûs constituit &c. Alter ab illo bis eum *Provincialem Lithvaniæ*, & *Poloniæ*, & antè etiam multorum *Collegiorum Rectorem* nominavit, & accusationes obtrectantium non recepit, imò

imò neque audire sustinuit. Postremus sub obedientiæ imperio, gratias, quas ei divinitùs concessas esse sciebat, ab eodem annotari & sibi transmitti voluit, ut nemo dubitaret in magno pretio & æstimatione apud eos *P. Nicolaum* fuisse.

Idem ostendunt familiaritates & amicitiæ Maximorum in Societate, atque etiam extra eam Virorum, nobilitate, doctrinâ, dignitatibus Ecclesiasticis, & Prælaturis, & sanctimoniâ vitæ Jllustrium, quorum L. 1. fecimus mentionem.

R. P. Gvalterus Mundbrod, qui uno excepto Generalatûs Officio maxima in Societate munia gessit, jam *Germaniæ Assistens*, lecto illius de indicijs profectûs opusculo, hæc ad eum scripsit: *Ad initium annuorum exercitiorum, quæ herì finivi, accepi à P. Bollando Antuerpiâ Reverentiæ vestræ libellum de indicijs & gradibus profectûs. Totum illis diebus secessûs perlustravi, cum magno meo gustu, &, ùt spero, fructu. Proinde non potui omittere, quin primas has post exercitia scriberem Reverentiæ vestræ duplici ex causa: prima est, ut agerem gratias pro illo libello digno, qui ab omnibus suum profectum quærentibus legatur & practicetur. Altera, ut horter Reverentiam vestram ad alia opuscula plura perficienda, aut si perfecta sunt, pro censura offerenda. Cupio enim valde, ut omnia fiant publici boni, ad quod omnem meam offero opellam. Romæ* 3. Octobris Anno 1641.

De *P. Nicolai* operibus sunt etiam illa, quæ ex literis *R. P. Theodori Rosmer, Neoburgico Duci à Confessionibus* An. 1641. 5. Junij ex *Domo Probationis Mechlinensi* datis describo: *Legi opusculum P. Nicolai Lancicij, nihil vidi utilius solidiúsque in re spirituali, pro ijs omnibus, qui vitam vivere cupiunt homine Societatis dignam. Vellem alicui meum esse animum, vel mihi vires mentis & corporis!* efficerem, *ut opusculum illud de indicijs profectûs esset linguarum omnium, atque omnium manibus tereretur. Nec illa mea solùm est opinio, sed quod pluris debet facere Reverentia vestra, qui in similibus rebus incanuit, vitámque trivit in rerum spiritualium tractatione, & volvendis Asceticis Authoribus, R. P. Fridericus de Tassis librum illum tanti facit, ut ex manu non deponat, putétque omnibus necessarium.* Notandum *P. Nicolaum* edidisse id temporis unũ tantùm opusculum de Indicijs profectûs in virtute; quid si plura illius opuscula legissent, quæ postea duobus voluminibus, agente præcipuè *R. P. Joanne Bollando*, magno illo, & nunquam satis laudato, ob vitas Sanctorum eruditissimis notis illustratas, Viro *Antverpiæ* prodiêrunt.

R. P. verò *Fridericus de Tassis Flandrobelgij Provincialis*, cujus meminit *R. P. Rosmer*, hæc habet in literis ad *P. Joannem Baptistam de Holland* Pragam missis: *Reverentia vestra multùm mihi gratificabitur, si hoc charitatis obsequium in totius Provin-*

vincia nostra commune bonum, præstare possit, quàm primùm, & quàm plurima ex Man: Srip: Rev. Pat. Nicolai Lancicij ad me mittere; de sumptibus, si ab alijs describenda sint, providebo: Fateor enim me luce illâ plurimùm posse juvari ad Majorem DEI Gloriam, & Proximi profectum spiritualem. Certè si illos libellos haberem, meâ manu omnes quàm primùm describerem. Lyræ 1. Augusti An. 1641.

R. P. Bernardinus Rosignolius, quantus Vir, & quanti nominis apud nos? si quem Instituti nostri callentem, & in rebus pro Gloria DEI aggrediendis imperterritum & fortem videret, solitus erat dicere: *est alter P. Lancicius.*

Primarius hujus *Provinciæ* & à virtute singulari celebris Pater, publicè ad Nostros An. 1642. dixit: *Si P. Lancicius nihil ageret ad DEI Gloriam & animarum salutem, quamvis agat plurima, satis Provinciæ profuturum, si tantùm de Collegio in Collegium veheretur, & res Societatis, primúmque S. Patris spiritum, quem ipse Romæ hausemt., Nostris inspiraret.*

Quanti *P. Nicolaum* faceret *Joannes Bollandus Societatis JESU Historiographus Sanctorum*, Vir infinitæ lectionis, & incomparabilis doctrinæ, non tam verbis quàm rebus ipsis demonstravit; malo *R. P. Danielis Papebrochij*, qui *Bollando* successit, ejúsque vitam conscripsit (Tomo primo Martij) verbis quàm meis uti; hæc enim Capite 5. de *Pa*-

tre

tre Nicolao habet: *Ex Provincia Litvaniæ ad Bollandi charitatem recurrit sanctæ venerandæq; memoriæ R. P. Lancicius, & postquam tractatulos varios ipsi haud frustra commendâsset ad prælum promovendos, tandem ingenuè fassus est, metuere se, nè si in Provincia post mortem suam relinquerentur, plurimæ commentationes suæ, inter variorum manus distractæ perirent: Romáque impetravit facultatem, hæredem universorum instituendi Bollandum, dum ea adhuc in sua viventis potestate forent. Itaque cunctas lucubrationes suâ hactenus manu exaratas, Antuerpiam misit tali conditione, ut pro suo arbitratu judicióque imprimeret, supprimeret, expungeret, emendaret Bollandus, quæcunque libuisset. Tantam Sanctissimi Viri erga se fiduciam Bollandi operosa humanitas frustrari spe suâ quamvis magnâ & arduâ, haud quaquam passa est, sed edita, ineditáque hactenus, nullâ prorsus re mutatâ duobus simul Tomis curavit imprimi ab operum suorum Typographo, qui nunc in omnium versantur manibus, & nihilo minori piorum hominum fructu leguntur.* Ex his *R. P. Papebrochij* verbis multa discimus; primùm: quanta *P. Lancicij* & ejus operum æstimatio sit, fueritque apud sapientissimos illos Patres, qui eũ *Sanctissimum & sanctæ memoriæ* appellant; deinde affirmat *R. P. Daniel* in omnium versari manibus libros *P. Nicolai*, tum illud, *Bollandum* Virum eruditissimum tam perfectos ejus libros existimâsse,

ut

ut nihil in ijs, quod reprehenderet, aut emendaret, repererit.

R. P. Philippus Alegambe in Catalogo Scriptorum Societatis, Virum ſapientiâ & virtute clarum P. *Nicolaum* vocavit adhuc viventem; at P. *Nathanaël Sotvellus*, qui poſt P. *Philippum* Bibliothecam Scriptorum Societatis JESU recognovit, & ferè altero tanto auxit, hæc ad P. *Nicolai nomen* adjecit: *Vir fuit ſapientiâ & virtute clariſſimus, apud Principes Viros ſummæ Authoritatis, atque ad duas Congregationes Generales Soc. I. ſeptimam & octavam à duabus Provincijs Poloniæ & Litvaniæ Legatus. Quin & à DEO ſingularibus affectum fuiſſe donis & gratijs, in curationibus morborum, prædictionibus eventuum, viſionibus rerum cæleſtium, notitia ſecretorum cordis, affirmant complures, qui illi convixerunt. In exulceratis tibijs ſcatentium vermium carnificinam, altiſſimo ſilentio conſtanter diſſimulavit. Tandem ſingulari vultûs & animi quiete coram Ven. Euchariſtia rogatu illius allata, ex ærumnoſa hac vita, ad beatam* (ùt fas eſt credere) *migravit.* Caunæ 16. Martij (ego ex literis *R. P. Floriani Malevvsky Superioris Caunenſis* diem 30. Martij poſui) Anno 1652.

Aliorum quoque ex Ordinibus Religioſis magnorum Virorum teſtimonia adduci poſſent, & adducta quædam antè ſunt prioribus duobus libris. *RR. PP. Cappucini* multùm *P. Nicolaum* æſtimabant.

bant. *Ven. P. Josephus à Jesu Maria* magnæ apud ſuos authoritatis, nec minoris gratiæ apud *Urbanum VIII.* cùm *P. Nicolaus Iglaviæ* degeret Anno 1639. ex *Monaſterio* ſuo 4. milliaribus diſſito eum frequenter inviſebat jam propè octogenarius, & horas integras in colloquijs divinis conſumebat; cúmque à Patre reverteretur, & domum rediret, Noſtris ſolebat dicere: *Fui apud Sanctum Patrem veſtrum, redeo cœleſtibus doctrinis inſtructus ad meos*; appellabat *P. Nicolaum* Parentem ſuum; quòd ab eo *Romæ* ad *Sacram Religionem Cappucinorum* directus ſit. Huic quidquid haberet boni in acceptis referebat, ídque ſe & *Romæ* & alibi publicè profeſſum eſſe; jam 20. annis ejus aſpectu caruiſſe, ſemper ab omnibus *Romæ* habitum eſſe *ſingularem ſpiritûs Magiſtrum Patrem Nicolaum*. Seniores ex hoc Sacro Ordine Patres *P. Nicolaum* frequenter adijſſe vidimus: *P. Valerianus Magni*, quid de Societate ſcripſerit & ſenſerit, orbi notum eſt; is tamen ſpiritum ejus magni faciebat, & apud *Moraviæ Proceres*, tanquam verum & ſolidum, ùt loquebatur, deprædicabat, & cùm noſtra & nos malignè carperet, *Lancicium* excipiebat. *Vidi egò* (quod ex memorijs *P. Godefridi Schuberti* exſcribo) *tùm Patrem Valerianum Olomucij extenſis quantum poterat ulnis amplecteretur ſuaviſſimè, rogans ut Societatem noſtram amaret, neque dictis aut calamo proſcinderet, ùt faciebat: eſſe enim Societatem*

tem

tem JESU, & amabilis JESU &c. quod tanto cum pietatis sensu protulit Pater, ut adstantibus propemodum lachrymas excuteret. Retulit hunc amplexum P. *Nicolai*, atque etiam P. *Petri Wadingi* in quodam suo libro P. *Valerianus*, sed aliorsum, quippe affectu sinistro occupatus, retulit quasi reąm esse se *Societas* agnosceret, & deprecaretur.

Sed longè teneriores, & solidiores affectus erga *RR. PP. Carmelitanos Excalceatos* prætulit *Pater Nicolaus*, nec suum erga eos amorem & æstimationem dissimulavit: audivi à Sene sæpius post *Societatem* charissimum sibi esse Ordinem *Excalceatorum Carmelitarum*; tum in laudes eorum effusus, commendabat coram me, in Ordinis sui instituto rigidam, & inviolatam observantiam, tum alia quædam illustria virtutum documenta. Et respondebant affectu boni illi Patres, & quoties obviabant Nostris, aut *Domum Professorum Pragensem* accedebant, solicitè interrogabant, ùt sanctus Senex valeret? quid scriberet? quid monitorum & documentorum de novo haberet? vidimus non semel *Magistrum Novitiorum* suos Tyrones ad Colloquium spirituale adducentem ad *Professorum Domum Pragensem*, qui jussu Magistri humi sedebant ad pedes *P. Nicolai*, & spirituales doctrinas instillatas ab eo humiliter, & gratanter referebant. Ipse verò *Adm. R. P. Prior*, cùm suos, ùt amat in Religionibus fieri, exhortaturus erat, *P. Nicolaum* ad-

adibat, & argumentum dictionis, & puncta præcipua sibi tradi non erubescebat. Habebat enim *Pater* centuriam unam notatorum, in quam selectissima quæque conjecerat, quæ illorum Instituto accommodatissima videbantur, ut P. *Prior* audientibus nostris diceret: se ejusmodi res à P. *Lancicio* discere, quas de Ordine suo nunquam didicisset. Cætera argumenta magnæ æstimationis & amoris in Patrem hìc omitto.

CAPUT XIV.

Effigies & Lineamenta exteriora Ven. P. Nicolai Lancicij.

HActenus animum *P. Nicolai*, ejúsque à virtutibus & gratijs cœlestibus venustatem, quantum humanis oculis inspicere licuit, descripsimus, superest, quod multos desiderare scio, ut ejus corporis effigiem apponamus; consulenda igitur mihi erit senilis memoria, & ejus vetustæ imagines, quas ab annis 44. (tantùm enim effluxit temporis, ex quo *Venerabilem Senem* ultimùm vidi) frequens ejus aspectus mihi impresserat, quamvis annis & morbis obliteratæ, in medium proferendæ.

Fuit P. *Nicolaus* staturâ corporis supra mediocrem, non tamen inter maximos computandus; magni-

magnitudini corporis, capitis magnitudo, & humerorũ decens amplitudo respondebat; nihil aut exile nimis, aut justam proportionem excedens vidisses; senio (non enim in virili ætate, sed penè in ultima, 60. & ampliùs natum annos describo) nonnihil humeris incurvatis procedebat. Vultus semper exporrectus & lætus, admixtâ gravitate quadam, quæ eum multa cogitare secum ostenderet. Oculi hilares quidem, sed modesti, & à frequentibus lachrymis corrupti, & nonnihil madentes, nunquam totos vidisses sed semiapertos; nasus modicè longior, sed cum decore; os non rigidè clausum, quasi ad loquendum sese comparantis; frons lata, & genæ succi plenæ, neque ullâ macie confectæ; capillos & barbam, quæ ætate in totum canescebant, nunquam aluit, neque permisit excrescere; præcipuè barbam, quam ipse suis manibus forficulâ usque ad pellem detondebat, novaculâ non utebatur, consvetudine Romanâ & Clericorum Veteris Ecclesiæ id se facere dicens; manus, & manuum digiti pro magnitudine corporis grandes: habui post mortem *P. Nicolai* pollicem ad me allatum (qui nescio quomodo alteri cessit) longo post Patris mortem tempore vividum, & carneum totum, sinè ulla graveolentia, adipem, aut quidquid illud fuit, humorem stillantem, grandem, & qualem magnitudine nisi robusti Viri pollicem non inveneris. Manu sinistrâ, dum prodiret,

coronam quam vocabat parvam, continenter versabat, repetente Patre usitatas sibi, de quibus antè dixi, aspirationes. Utraque manus supra cingulum suspensa, nunquam demissiùs ferebantur. Cingulum rude, & semper ex panno, quod semel tantùm pectori adstringebat, nec nisi simplici nodo, & unicâ ansâ claudebatur; vestitus simplex, quem semper ex panno vili habebat, útque semper mundus esset, diligenter curabat. Caput domi plerumque mitrellâ, & super eam quadrato, quem vocamus, pileo contegebat; si incedendum esset in præsentia Virorum honoratorum, quadratum in manu tenebat, pileolo seu mitrellâ in capite retentâ; nunquam eum concitato cursu ambulantem vidi, semper ea in re, sicut in alijs omnibus sibi similis fuit: cùm procedendum esset in publicum, pileo operto capite, & pallio cætero corpore contecto procedebat, quod pallium ejúsque dextram partem sub manûs sinistræ cubito ità involvebat, ut nihil de manibus, aut digitis appareret, totúsque pallio tectus, & clausus incederet: nunquam innixus humero parieti aut sellæ sedebat; denique ità omnia composita vidisses, ut nihil affectatum, nihil quod sanctitatem dedeceret in vestitu, capitis & oculorum motu odiosum deprehenderes, summam potiùs venerationem omnium præseferret. Hæc ego observata à me in *P. Lancicij* moribus, & exteriori cultu recordor, quæ hìc descripsi.

PROTESTATIO AUTHORIS.

CUm Sanctissimus Dominus Noster URBANUS VIII. die 13. *Martij An.* 1625. *in Sacra Congregatione S. Romanæ & universalis Inquisitionis Decretum ediderit; idémque confirmaverit die* 5. *Julij An.* 1634. *quo vetuit imprimi Libros Hominum, qui Sanctitatis famâ Celebres è vita migraverunt, Gesta, Miracula, vel Revelationes, seu quæcunque Beneficia, tanquam eorum intercessionibus à DEO accepta, continentes, sinè recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sinè ... impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die* 5. *Iunij* 1631. *ità explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati*

coronam quam vocabat parvam, continenter versabat, repetente Patre usitatas sibi, de quibus antè dixi, aspirationes. Utraque manus supra cingulum suspensa, nunquam demissiùs ferebantur. Cingulum rude, & semper ex panno, quod semel tantùm pectori adstringebat, nec nisi simplici nodo, & unicâ ansâ claudebatur; vestitus simplex, quem semper ex panno vili habebat, útque semper mundus esset, diligenter curabat. Caput domi plerumque mitrellâ, & super eam quadrato, quem vocamus, pileo contegebat; si incedendum esset in præsentia Virorum honoratorum, quadratum in manu tenebat, pileolo seu mitrellâ in capite retentâ; nunquam eum concitato cursu ambulantem vidi, semper ea in re, sicut in alijs omnibus sibi similis fuit: cùm procedendum esset in publicum, pileo operto capite, & pallio cætero corpore contecto procedebat, quod pallium ejúsque dextram partem sub manûs sinistræ cubito ità involvebat, ut nihil de manibus, aut digitis appareret, totúsque pallio tectus, & clausus incederet: nunquam innixus humero parieti aut sellæ sedebat; denique ità omnia composita vidisses, ut nihil affectatum, nihil quod sanctitatem dedeceret in vestitu, capitis & oculorum motu odiosum deprehenderes, summam potiùs venerationem omnium præseferret. Hæc ego observata à me in *P. Lancicij* moribus, & exteriori cultu recordor, quæ hìc descripsi.

PROTESTATIO AUTHORIS.

Cum Sanctissimus Dominus Noster VRBANVS VIII. die 13. *Martij An.* 1625. *in Sacra Congregatione S. Romanæ & universalis Inquisitionis Decretum ediderit; idémque confirmaverit die* 5. *Julij An.* 1634. *quo vetuit imprimi Libros Hominum, qui Sanctitatis famâ Celebres è vita migraverunt, Gesta, Miracula, vel Revelationes, seu quæcunque Beneficia, tanquam eorum intercessionibus à* DEO *accepta, continentes, sinè recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sinè* [illegible] *impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die* 5. *Iunij* 1631. *ità explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati*

absolutè & quæ cadunt super personam: benè tamen ea quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana: sed fides tantùm sit penes Authorem: Huic Decreto *ejúsque confirmationi & declarationi observantiâ & reverentiâ qua par est insistendo: profiteor: me haud alio sensu quidquid in hoc Libro de vita P. Lancicij refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem divina, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ, nituntur.*

Bohuslaus Balbinus.

INDEX



INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

de

LIBER SECUNDUS.

CA-

LIBER TERTIUS.

CA-

FINIS.



FACULTAS
Rev. Patris Provincialis Boëmiæ Societatis JESU.

Cùm Librum, cui Titulus est VITA VENERABILIS PATRIS NICOLAI LANCICII è SOCIETATE JESU, à P. Bohuslao Balbino Societatis JESU conscriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint, potestate acceptâ à R. P. Nostro THYRSO GONZALEZ Societatis JESU Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur. In quorum fidem hasce literas manu meâ subscriptas, & Sigillo Officij munitas dedi Olomucij 20. Julij Anno 1689.

Mathias Tanner.

FACULTAS
Rev. Patris Provincialis Boëmiæ Societatis JESU.

Cùm Librum, cui Titulus est VITA VENERABILIS PATRIS NICOLAI LANCICII è SOCIETATE JESU, à P. Bohuslao Balbino Societatis JESU conscriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint, potestate acceptâ à R. P. Nostro THYRSO GONZALEZ Societatis JESU Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur. In quorum fidem hasce literas manu meâ subscriptas, & Sigillo Officij munitas dedi Olomucij 20. Julij Anno 1689.

Mathias Tanner.



